



Original 00



ALLE  
(SALE)  
BIBLIOTHEK



# FAMILI

ARIVM COLLOQVIO  
rū formula, per D. ERASMVVS  
Roterodamum, multis adiectis,  
non tantum ad linguam pue  
rilem expoliendam u/  
tiles, uerum etiā  
ad uitā in=  
sti/  
tuendam.

Apud inclytam Basileam.

M. D. XXIII.

*Sum ex libris Joannis Wezelij*

D. ERASMVVS ROT. IO. ERAS/  
MIO FROBENIO S. D.

**C** Ratularer tibi raram istam felicitatem Eras/  
mi suauissime, cui contigerit, in officina pa/  
terna, uelut in optimorum authorū ubere quodam  
fonte nasci, tum inter tot triū linguarum scientia præ/  
stantes uiros educari, nisi magis conueniret isti æta/  
ti bene ominari, quàm gratulari. Neq; uero uulga/  
rem sustines expectationē, ut amantiſſimo patri, cui  
uere es quod diceris ἐράσμιος, cuiusq; spes omnis  
in te uno sita est, ut Beato Rhenano mihiq; respon/  
dcas, qui tuo nomine fideiussimus in baptismo, ut  
Guolphango Capitoni, quo fideiussore confirmatio  
nis sacramentum accepisti. A nobis curatum est, ut  
prima linguæ tuæ balbuties Latinis, Græcisq; literis  
formaretur. Libellus hic nō nihil conducet et ad pie/  
tatis clementa percipiēda. Quo nomine debet tibi  
chorus innumerabilis æqualium, quod hæc utilitas  
per te ad ipsos peruenerit. Visum est enim nobis tua  
causa, dies aliquot repueraſcere, dum stilum ac  
sententias ad tuam ætatulam attempera  
mus. Iesus te seruet semper ad me  
liora proficientem. Bene uale.

Basileæ pridie Calen  
das Martias. An/

no M. D. XXI.



B66977

L 1999

2

FAMILIARIA COLLOQVIA  
IN PRIMO CON-  
GRESSV.



ON TEMERE docet quidam, ut salutemus libenter. Comis enim & blanda saluatio saepe conciliat amicitiam, inimicitiam diluit, certe mutuam beneuolentiam alit, augetq;.

Quidam usque adeo Demea sunt, ingenioq; agresti, ut uix salutati resalutent. Nonnullis hoc uitij conalauit educatio uerius, quam natura.

Urbanitatis est, salutare obuios, eos qui nos adeunt, aut quos adimus ipsi colloquendi gratia. Item operis aliquid agentes, coenantes, oscitantes, singultientes, sternutantes, tuſsientes. In ructu crepitu ue uestris salutare, hois est plus satis urbani. Sed inciuius etiam eum salutare, qui reddit uirinam, aut alium exonerat. Salue pater, salue ma-

A 2 tercula,



## FAMILIARIVM COLLO/

tercula, salve mi frater, salve præceptor observãde,  
salve multũ mi patrue, salve dulcissime nepos. Vr/  
banum est adlere cognationis, aut affinitatis titulũ,  
nisi cum habent aliquid odij. Tum enim præstat abu/  
ti minus quidem proprijs, sed plausibilibus. Velu/  
ti cum nouercam salutamus matrem, priuignum fi/  
lium, uitricũ patrem, sororis maritum fratrem, fra/  
tris uxorem sororem. Idem in ætatis aut officiorũ  
titulis faciendum. Gratius enim fuerit, si senem pa/  
trẽ, aut uirũ eximiũ salutes, quàm ætatis cognomi/  
ne. Salve præfecte, salve tribune. Nõ aut salve ca/  
ligarie aut calcearie. Salve adolescẽs, salve iuuenis.  
Senes ignotos adolescentes filiorũ cognomento salu/  
tãt, adolescẽtes uicissim illos patres aut dominos.

## BLANDIOR SALVTATIO INTER AMANTES.

Salve {  
mea Corneliola.  
mea uita.  
mea lux.  
meum delictum.  
meum suauium.  
mel merum.  
mea uoluptas unica.  
meum corculum.  
mea spes.  
meum solatium.  
meum decus.

Honoris



QVIORVM FORMVLAE. 3

HONORIS GRATIA

AUT SECVS.

Salue here. Ohe salue tu quoq; bone uir.

Salue uir ornatissime, clarissime.

Salue etiam atq; etiam literarum decus.

Salue plurimum amicorum optime.

Salue mi Mœenas. Salue patrone singularis.

Salue uir spectatissime. Salue litterarum decus.

Salue Germaniæ delictum. Saluete quotquot estis.

una salute omnes. Saluete pariter omnes.

Saluete belli homunculi. Salue congerro lepidissime.  
me. Salue uini pernicies.

R. Salue & tu gurges belluoq; placentarum.

Salue multum uirtutis omnis antistes.

R. Salue tantundem totius probitatis exemplar.

Salue anicula annos nata quindecim.

R. Salue puella annorum octoginta.

Bene sit tibi cum tuo caluicio.

R. Bene tibi cum lacero naso.

Vt salutaris, ita resalutaberis. Si male dixeris, pe  
ius audies. Salue iterum atq; iterum.

R. Et tu salue perpetuum. Salue plus milies.

R. Equidem malim saluere semel.

Salue quantum uis.

R. Et tu quantum mereris. Saluere te iubeo.

R. Quid si nolim? Equidem egrotare malim,  
quàm tua salute saluere.

A 3 Sancti

FAMILIARIVM COLLOQ

Salua sit tua

}	Sanctitas.	}	magis uulgo rece- pta sunt, quàm p- bata doctis.
	Amplitudo.		
	Celsitudo.		
	Maiestas.		
	Beatitudo.		
	Sublimitas.		

IN TERTIA PERSONA.

Sapidus Erasmo suo salutem dicit.

Sapidus Beatum suum plurima salute impartit.

ALIA FORMA.

Saluus sis Crito. Bene sit tibi uir optime.

R. Et tibi melius. Pax tibi frater. Christiana salu-  
tatio est à Iudæis profecta, neq; tamen repudiāda.

Similis est: Bona uita. Aue præceptor.

R. Equidem malim habere, quàm auere. Xαίπε.

R. Memento te Basileæ esse, non Athenis. R. Quur  
tu igitur audes Romane loqui cū Romæ non sis?

BENE PRECANDI FORMVLE.

Et bene precari salutationis genus est.

GRAVIDAE.

Faxit deus, ut feliciter parias.

Vt maritum pulchra prole facias parentem.

Faxit illa uirgo mater, ut feliciter fias mater.

Precor ut hic tumor uteri, feliciter subsidat.

Velint superi, ut non maiore molestia elabatur, quā  
illapsum est, quicquid est hoc oneris quod gestas.

Donet tibi deus felix puerperium.

Coniuiis

QVIORVM FORMVLAE. †

CONVIVIS.

Sit felix conuiuium. Bene sit uniuerso coetui.

Precor omnia leta uobis omnibus.

Deus bene fortunet uestrum conuiuium.

STERNVTANTI.

Sit faustum ac felix. Seruet te deus. Sit saluti-  
ferum. Bene uertat deus.

AUSPICANTI QVIPPIAM.

Sit felix & faustum reip. Bono sit omnibus, quod  
instituis. Bene uertat quod agis. Bene fortunet  
deus tuos labores. Faucant superi tuis conatibus.

Quæso ut quod instituisti, superis bene fortunanti-  
bus, feliciter absoluas. Bene fortunet Christus opt.  
Max. quod in manibus est. Feliciter cedat quod in-  
stituisti. Feliciter exeat, quod aggressus es. Rem  
sanctam aggressus es, precor, ut felix sit exitus.

Felix ac prosperum numē, aspiret pulcherrimis cœ-  
ptis. Christus bene cœpta secundet. Prospere suc-  
cedat, quod auspicatus es. Deum opt. Maximumq;  
precor, ut istud consilium quàm est honestum, tam  
sit et felix. Bonis auibus cœpta res, melioribus ex-  
eat. Precor, ut bonis auibus Italiam adeas, melior-  
ribus redeas. Opto tibi felicem cursum, & recur-  
sum feliciorum. Faxit deus, ut itinere hoc feliciter  
peracto, breui tibi prosperum reditum gratulemur.

Contingat tibi feliciter & nauigare, & renauiga-  
re. Sit iter letum, reditus letior. Vtinam ista

A 4 profectio

FAMILIARIVM COLLO

profectio tibi succedat ex animi tui sententia.  
Vtinam tibi tam iucunda sit ista profectio, quam nos  
bis erit interim molestum tui desiderium. Bonis  
auspicijs soluas ancoram. Precor, ut ex utriusq;  
uotis, succedat hoc iter. Precor, ut hic cōtractus  
cōmodo, bonoq; sit utrisq;. Precor, ut hoc matri=  
moniū, uoluptati sit omnibus nobis. Sospiet te Ie=  
sus opt. Max. Superi propicij te nobis incolumen  
restituant. Seruet deus animæ dimidiū. Opto  
tibi reditum incolumen. Precor, ut hic annus tibi  
letis auspicijs ineat, latioribus procedat, letissimis  
exeat, ac sepius recurrat semper felicior.

R E S P. At ego tibi uicissim multa secula felicis=  
sima precor, ne tu gratis sis nobis bene precatus.  
Precor, ut hic dies tibi candidus illuxerit.  
Precor, ut hic soll tibi felix surrexerit.

R. Tantundem tibi reprecor. Sit felix exortus hu=  
ius diei; & sit utriq; nostrum prosperrimus. Opto  
tibi noctem prosperam pater. Precor tibi noctem  
placidā. Contingat tibi felix somnus. Det deus  
placidam quietem. Det somnum absq; somnijs.

Faxit deus, ut aut placide dormias, aut feliciter  
somniaes. Sit tibi fausta nox. At ego tibi, quan=  
do gaudere soles lucro, pro una fausta, tibi mille pro=  
cor faustissimas.

V A L E I N D I G R E S S V.

Valete omnes. Bene uale. Cura ut quàm rectissi=  
me

QVIORVM FORMVLÆ. . 5

me ualeas. Valetudinem tuam cura diligenter.  
Iubeo te bene ualere. Iam me tempus aliò uocat  
tu ualebis. Valeto quàm optime. Vale Pancra/  
tice, aut si mauis Athleticè. Vale ut dignus es.  
Vale ut meritis In hoc biduum ualebis. Si me  
dimittis, ualebis in crastinum. Num quid uis?  
Est aliud quod me uelis?

R. Nihil nisi ut prospere ualeas.

Da operam, ut sis prospera ualetudine.

Age curam ualetudinis tuæ. Habe curam salu-  
tis tuæ. Fac ut proximo congressu te lætum ac ni-  
tidum uideamus. Iubeo te curare cuticulam.

Cura ut sit mens sana in corpore sano. Da oper-  
ram ut totus ualeas, tum corpore tum animo.

R. Dabitur quidem opera. Valebis tu quoque.  
Tibi uicissim precor prosperam ualetudinem.

SALVTARE PER ALIUM.

Frobenium iubebis meo nomine saluere plurimum.  
Erasmiolum item mea causa salutabis diligenter.  
Tum matri Getrudi quàm potes officiosissime, ex  
me salutem dicito. Dic me omnibus omnia læta  
precari. Salutabis mihi totam sodalitatem dilige-  
ter. Amicos omnes meis uerbis salutato. Vxo-  
ri salutem ex me annunciabis. Fratri tuo in literis  
tuis meo nomine salutē ascribes. Mei uice saluta-  
bis affinem meum. Nunquid tuis mandas per me?

A 5 R. Vt

## FAMILIARIUM COLLO

R. Ut recte ualeant. Est ne quod uelis ad tuos perferri me nuncio?

R. Multam salutem omnibus, sed præcipue patri. Sunt quos per me tuo nomine uelis saluatos?

RESP. Omnes qui de me percotabuntur. Salutem quam mihi ab amicis attulisti, illis multo cum foenore referes. Quorum nomine mihi salutem attulisti, hos omnes mea gratia uicissim saluabis accurate.

In amicis saluandis sis queso mihi uicarius. Saluasssem generum meum per literas, sed tu mihi apud illum epistolæ uice fueris. Heus heus quò pperas?

RESP. Recta Louaniū. Resiste paulisper, est quod tibi mandem. RESP. Atqui pediti non conuenit sarcina. Quid rei est? RESP. Ut Goclenium, Rutgerum, Ioannem Campensem, totumq; chorum trilinguem mihi salutes.

R. Si nihil aliud imponis sarcinæ præter salutes, facile perferam. Atqui ne gratis isthuc facias, precor ut tibi quoque eunti ac redeunti salus sit comes. Saluebis à Cicerone meo.

## REDUCEM QVOMODO SALVTARE OPORTEAT.

Saluum te aduenire gaudemus. Sospitum adesse uolupte est. Te nobis redditum esse uoluptati est.

Gratulamur tibi felicem reditū. Gratia superis, quod nobis incolumis redieris. Quo molestius fuit nobis

QUIORVM FORMVLAE. 6

ut nobis tui desiderium, hoc redditus conspectus tui  
iucundior est. Gratulamur & tibi & nobis, quod  
uiuus ac ualens nobis restitutus sis. Hoc redditus  
tuus est nobis iucundior, quo minus expectatus.

R. Ego uicissim letor, quod incolumis, uos incolu-  
mes offenderim. Quod te saluum reppererim,  
uehementer gaudeo. Non uiderer mihi redisse sal-  
uus, nisi uos saluos reperiissem. Nunc demum mi-  
hi uideor sospes, cum uos incolumes ac pulchre ua-  
lentes conspicio.

PERCONTANDI FOR. IN PRI-  
mo congressu. Georgius, Liuius personæ.

G. Ex qua tandem corte aut cauca nobis ades?

L. Quid ita? G. Quia male saginatus. Quia ma-  
cie pelluces totus, ariditate crepitas. Unde prodis?

L. E collegio motis acuti. G. Ergo ades nobis onu-  
stus literis. L. Imò pediculis. G. Pulchre comi-  
tatus aduenis. L. Sanè, nec tutum est nunc uiato-  
rem ire incomitatum. G. Agnosco satellitium scho-  
lasticum. Ecquid nouarum rerum adfers è Lute-

tia? L. Illud in primis quod scio tibi uidebitur in-  
credibile. Lutetia Beta sapit, & Quercus condona-  
tur. G. Quid tu narras? L. Hoc quod audis.

G. Quid ego audio? L. Hoc quod narro. G. Mon-  
stri simile. Oportet illic sangos & lapides esse audi-  
tores, ubi tales concionentur. L. Atqui sic res ha-  
bet. Nes

FAMILIARIVM COLLOQ<sup>u</sup>

bet. Nec audita narro, sed comperta. G. Oportet igitur illic plurimum sapere homines, si sapit Be-  
ta & Quercus. L. Recte coniectas.

ALIA.

G. Vales ne? L. Contemplare uultum. G. Quin  
magis lotium iubes. L. An me putas medicum?  
G. Non rogo quid ualeas, nam facies ipsa loquitur  
te belle ualere, sed quomodo tibi placeas. L. Cor-  
pus quidē belle habet, sed animo male est. G. At  
non ualet qui isthac parte laborat. L. Sic res ha-  
bent meæ. G. Corpus ualet, sed ægrotat crumena.  
L. Facile isti morbo medebitur mater. G. Ut ua-  
luisti usq;? L. Varie: ut sunt res mortaliū. G. Sat  
tin recte uales? Salua ne res? Satin salua res?  
Fuisti ne semper prospera ualetudine? L. Prosper  
rima, gratia superis. Ego dei beneficio perpetuo  
bellissime ualui. Semper prospera ualetudine sum  
usus. Hactenus bona ualetudine fui, fausta, incolu-  
mi, felici, prospera, sequunda, integra, basilica, ath-  
letica, pancratica ualetudine. G. Faxint superi ut  
isthuc sit perpetuum ac proprium. Letus istud au-  
dio. Voluptatem mihi nuncias. Est isthuc mihi au-  
ditu perquam iucundum. Sermonem istum ex te au-  
dire supra modum gaudeo. Isthuc haud inuitus au-  
dio. Oppido letor isthuc audire ex te. Ut idem sem-  
per facias opto. Ut ad istum modum quam diutis-  
sime ualeas opto. Tibi gratulor, mihi gaudeo.  
Gratia superis,



QUIORVM FORMVLAE. 7

Gratia superis. Gratiam habeo superis. L. Equidem pulchre ualeo, si tu uales. G. Nihil interim molestiae fuit? L. Nihil, nisi quod uestra consuetudine frui non licuit. G. Quo pacto uales? L. Recte pulchre, belle, perbelle, bellissime, perpulchre, feliciter, commode, minime male. Valeo ut uolo potius, quam ut mereor, basilice, pancratice, athleticae. G. Expectabam, ut diceres etiam taurice.

MALE VALERE.

G. Recte ne uales? L. Vellem quidem. Non admodum ex sententia. Equidem utcunq; ualeo. Sic satis. Valeo ut possum, quando ut uolo non licet. Ut soleo. Ita ut superis uisum est. Non optime sanè. Sic ut antehac peius nunquam. Valeo ut solitus sum. Valeo ut solent quibus cum medicis res est. G. Ut uales? L. Secus quam uellem. G.

Qua ualitudine es? L. Haud sanè commoda, incommoda, perquam incōmoda, infelici, parum prospera, parum sequunda, mala, aduersa, infausta, imbecilli, dubia, mediocri, uix mediocri, longe alia quam uellem, tolerabili, qualem optem hostibus meis.

G. Rem mihi sanè quam acerbam narras. Prohibeant superi. Auertat deus. Bona uerba. Hic cupiāte uanum esse. Bono sis animo oportet. Forti, infractoq; sis animo. Multum iuuat, animus in re mala bonus. Fulciendus est animus spe fortunae secundioris. Quid morbi est? Quod mali genus est? Quis te morbus

FAMILIARIVM COLLOQVIVM

te morbus habet? Quo morbo teneris? Quid habes morbi? Quis te tenet morbus? L. Nescio, & hoc laboro periculosius. G. Verum. Nam ad sanitatē gradus est, nouisse morbum. Nullōsne consuluisti medicos? L. Et quidem permultos. G. Quid respondent? L. Id quod aduocati Demiphoni apud Comicum. Alius negat, alius ait, alius deliberandū censet. In hoc consentiunt omnes me miserum esse. G. Quā pridem habet te hoc mali? Diu est quod teneris isto morbo? Quantum temporis est, quod te malum hoc corripuit? L. Dies plus minus uiginti. Fermē mensis est. Iam tertius est mensis. Mihi quidem seculū uidetur, quod egrotare coepi. G. Adnitendum censeo, ne morbus fiat familiaris. L. Iam nimium assuevit. G. Num est hydrops? L. Negant. G. Num dysenteria? L. Non arbitror. G. Num febris? L. Opinor febris esse speciem, sed nouam: ut nunc noui subinde morbi exoriūtur antehac incogniti. G. At plus satis erat ueterum. L. Ita uisum est naturæ, nimium noueræ. G. Quoto die recurrit dolor? L. Quoto die narras? imò quotidie sæpius quàm Euripus. G. Papæ malum abominandum. Vnde contraxisti malum? Vnde suspicaris hoc esse collectum mali? L. Ex inedia. G. At nō soles usq; adeo superstitiosus esse, ut te ieiunio macerares. L. Non erat religio, sed inopia. G. Que nam? L. Quia nō dabatur cibus. E frigore natum arbitror. E

QVIORVM FORMVLAE. 8

tror. E putribus ouis morbum ortum suspicor. E uino plus satis diluto. E crudis malis contracta est stomachi cruditas. G. Vide ne ex immodico aut intēpestiuo studio conciliaris hoc mali: Aut ex potatione largiore, aut Venere parum moderata. Quin accersis medicum? L. Timeo ne citius morbum augeat, quam adimat. Metuo ne pro remedio det uenenum. G. Deligendus est igitur cui tuto fidas. L. Si moriendum est, malo semel mori, quam tot pharmacis excarnificatus. G. Fac igitur, ut ipse tibi sis medicus. Si diffidis homini medico, precor ut sit tibi medici uice deus. Sunt qui tecti cuculla Dominicali aut Franciscana reualuerunt. L. Idem fortassis euenisset, si lenonis pallio tecti fuissent. Verum ista diffidenti nihil conducunt. G. Fide igitur ut reuiuiscas. Alij morbo leuati sunt, nuncupatis alicui diuo uotis. L. At ego cū diuis non paciscor. G. Proinde tu uel à Christo, cui fidis, pete sanitatis beneficium. L. At ego an beneficiū sit, nescio. G. An non beneficium est liberari morbo? L. Nonnunquam mori felicius est. Ab illo nihil peto, nisi ut quod scit optimum esse mihi largiatur. G. Sume quod aluum deiciat. L. Iam sua sponte cita est. G. Ciendus est aluus. Mouendus est aluus. L. Imò sistendus est magis. Nam plus satis profluit.

ALIA.

G. Fuit ne tibi hoc iter faustum & commodum?  
L. Sic

FAMILIARIUM COLLOQ.

L. Sic satis, nisi quod nihil usq̄ tutum est à latronibus. G. Hic est belli ludus. L. Est, sed scelerratissimus. G. Pedes aduenis, an eques? L. Partim pedestri itinere, partim uehiculo, partim equo, partim nauigio. G. Quo in statu sunt res Gallicæ? L. Sanè turbulento. Magnæ bellorum minæ sunt. Quid mali allaturi sint hostibus, nescio: certe Galliam ipsi nō dicendis malis affliguntur. G. Vnde proficiscuntur isti bellorum tumultus? L. Vnde, nisi ex stulticia Monarcharum. G. At horum prudentia conueniebat sedari rerum humanarū tempestates. L. Sedant illi quidem, sed ut auster mare. Persuadent sibi se deos esse, suaq; causa mundum hunc esse conditum. G. Imò princeps reipublicæ gratia constituitur, nō respublica principis causa. L. Imò non de sunt Theologi, qui frigidam suffundant, & ad hos tumultus classicū canant. G. Istos ego statuerem in prima acie. L. At illi sibi cauent post principia. G. Ista publica fati curanda relinquamus. Tuæ res quo tandē in statu sunt? L. Optimo, felici, mediocri, tolerabili. G. Quo pacto se res habent tuæ? num ex uoto? L. Imò supra uotū, supra meritū, supra spem. G. Satin ex sententia? Satin salua omnia? Satis ne prospere omnia? L. Res in peiore statu esse nō potest. Peiore in loco negocium nō potest esse. G. Non cepisti igitur quod captabas? Non contigit præda quam uenabaris? L. Venabar

QVIORVM FORMVLAE. 9

L. Venabar equidem, sed irata Delia. G. Nihil reliquum est spei? L. Spei permultum, sed rei nihil. G. Episcopus nihil ostendit spei? L. Tota plaustra, totas naues, sed praeterea nihil. G. Nihil adhuc misit? L. Promisit quidem largiter, at ne terunciū quidem misit. G. Ergo spe alendus est animus. L. Sed hac non saginatur uenter. Qui spe aluntur, pendent nō uiuunt. G. Sed hoc eras ad iter expeditior, quod nihil esset oneris in zona. L. Fateor, atq; etiam tutior. Nulla enim sunt arma certiora aduersus latrones. Sed ego malim et onus & periculum. G. Nihil ne tibi ademptum est in uia? L. Mihi ne? Quaeso quid eripias nudo? Alijs atius periculū erat à me. Licuit mihi uacuo uia tori, per totum iter canere & esurire. Nunquid uis? G. Quò nunc hinc abis? L. Rectà domum, salutaturus penates, iam diu non uisos. G. Precor ut illic offendas omnia lata. L. Utinam ita uelint superi. Nihil interim extitit noui domi nostrae? G. Nihil, nisi quod reperies auctam familiam. Nam tua Catulla peperit tibi catulum absenti. Tua gallina peperit tibi ouum. L. Bene nūcias. Grata nūcias. At ego tibi pro isthoc nuncio polliceor Euangeliū. G. Quod nam? secundum Matthaum? L. Non, sed secundum Homerum. En, accipe. G. Tibi seruatum Euangelium. Mihi saxorum satis est domi. L. Ne sperne munusculum. Aētites est, qui graui-

B      dis adde

FAMILIARIVM COLLOQV

dis admotus in nixu, maturat partum G. Quid ais? Est mihi sanè gratissimū. Dispiciam, unde possim hoc donum pensare. L. Abunde pensatū putata, si boni consulueris. G. Imò nihil accidere potuit magis in tempore. Nam uxori meæ iam pridem tumet uterus. L. Illud igitur abs te stipulabor, ut si masculum ediderit, me susceptorem asciscas. G. Polliceor, ac tuū indetur puero nomen. L. Quod utrisq; bene uertat. G. Imò nobis omnibus.

PERSONAE. MAVRITIVS.  
CYPRIANVS.

MAV. Redisti nobis obesior solito. Redisti procerior. C. At equidē mallem prudētior, aut doctior. M. Imberbis abieras, redisti barbatulus. Cōtraxisti tibi absens nonnihil senij. Quid sibi uult hic pallor? quid macies? quid frons caperata? C. Vt est fortuna, sic est corporis habitus. M. Num aduersa? C. Nunquā mihi quidem sequunda, sed nunquam reflauit odiosius. M. Doleo uicem tuam. Dolet mihi tua calamitas. Sed quid isthuc mali est? CYP. Vniuersæ pecuniæ naufragium feci. M. In mari? C. Non, sed in littore: nondum nauem ingressus. M. Vbi nam? C. In littore Britannico. M. Bene habet quod ipse nobis uiuus enatasti. Præstat pecuniæ iacturam facere quàm uitæ. Leuius est pecuniæ dispendium quàm fame. C. Vita fama q; incolu  
lumi

QUIORVM FORMVLAE. 10

lumi, perijt pecunia. M. Vita sarciri nullo pacto potest, fama egre potest, pecunia facile alicunde sarcietur. Qui malum hoc accidit? C. Nescio, nisi quod sic erat in fatis meis. Sic uisum est superis. Sic libuit geniomeo malo. M. Vides igitur doctrinam ac uirtutem tutissimas esse diuitias, quæ nec eripi possunt nec grauant circūferentē. C. Pulchre tu quidem philosopharis. Sed interim ego ringor.

ALIA. PERSONAE. CLAUDI  
DIVS. BALBUS.

C. Gratulor tibi reduci Balbe. B. Et ego tibi superstiti Claudi. C. Gratulor tibi in patriam reuerso. B. Imò gratulare magis è Gallia profugo. C. Quid ita? B. Quia illic bellis feruent omnia. C. Quid Musis cum Marte? B. Atqui illic ne Musis quidem paratur. C. Tu igitur feliciter elapsus es. B. At non sine periculo. C. Totus alius nobis redisti. B. Qui sic? C. Ex Hollando uersus es in Gallum. B. Quid? an capus eram quum hinc abirem? C. Vestis indicat te mutatum ex Batauo in Gallum. B. Hanc metamorphosin malim quàm in gallinam. Sed ut cuculla non facit monachū, ita nec uestis Gallum. C. Iám ne calles Gallice? B. Sic satis. C. Quo pacto didicisti? B. A magistris haud quaquam mutis. C. Quibus? B. A mulierculis quouis turture loquacioribus. C. In tali ludo facile  
B 2 discimus

## FAMILIARIVM COLLO

disamus loqui. Sonás ne probe sermonem Gallicū?  
 B. Imò & Latinum sono Galliae. C. Nunquam  
 igitur scribes bona carmina. B. Qur ita? C. Quia  
 perijt tibi syllabarum quantitas. B. Mihi satis est  
 qualitas. C. Quid, est ne Lutetia immunis à pesti-  
 lentia? B. Non est, sed perpetua non est: aliquan-  
 do remittit sese, mox recrudescit, nonnunquam in-  
 termittitur, deinde recipit sese. C. Nō sat erat ma-  
 lorum, ubi bellum est? B. Erat, nisi secus esset ui-  
 sum superis. C. Annonæ caritatem isthic esse oportet.  
 B. Imò penuriam. Omnium rerum illic inop-  
 pia est, præterquam sceleratorum militum. Bonorum  
 uirorum illic est mira uilitas. C. Quid accidit Gal-  
 lis, ut bellum suscipiant cum aquila? B. Quia mo-  
 uet illos exemplum scarabei, qui non cessit aquilæ.  
 In bello nemo sibi non uidetur Hercules. C. Non  
 te remorabor diutius. Aliàs latius nugabimur, quum  
 erit utriq; commodum. Nunc aliò me uocant negoti-  
 ciola quedam.

## DOMESTICA CONFABULATIO. Personæ: Petrus, Mida, puer Iodoas.

PETRVS. Heus heus puer, nemon huc prodit?  
 M. Hic opinor effringet fores. Familiarē oportet esse.  
 O lepidū caput. Quid adfers mi Petre? P. Me  
 ipsum. M. Næ tu rem haud magni precij huc at-



QUIORVM FORMVLAE. II

tulisti. P. Atqui magno constiti patri meo. M. Credo, pluris quam reuendi possis. P. Sed Iodocus est ne domi? M. Incertus sum, sed uisam. P. Quia tu potius abi, et roga ipsum, an uelit nunc esse domi. M. Abi tu potius, sisq; tibi ipsi Mercurius. P. Heus Iodoce, num es domi? Iod. Non sum. P. Impudens, non ego audio te loquentem? Iod. Imò tu impudentior. Nuper anallæ tuæ credidi te nō esse domi, & tu non credis mihi ipsi? P. Acquie dicis, par pari relatum. Iod. Equidem ut nō omnibus dormio, ita non omnibus sum domi. Tibi post hac semper ero. P. Sed tu mihi uidere Cochleæ uitam agere. Iod. Qui sic? P. Quia perpetuo domi latus, nec usquam prorepis. Non secus atq; claudus sutor, iugiter domi desides. Tu tibi domi situm contrahis. Iod. Est quod agam domi, foris nihil est negocij. Et si quid esset, tamen hoc cœlum me dies aliquot à publico cohibuisset. P. At nunc sudum est, & inuitat ad deambulandum. Vide ut blanditur. Iod. Si prodeambulare lubet, non recuso. P. Planè uidetur hoc utendum cœlo. Iod. Asciscendus est unus aut alter congerro. P. Fiet, modo dicas quos uelis. Iod. Quid si Hugonē. P. Haud multū interest inter Hugonem & nugonem? Iod. Age placet. P. Quid si Alardū? Iod. Homo minime mutus est. Quod auribus diminutū est, lingua pensat. P. Si uidetur, Neuium adiungemus. Iod.

B 3 Siquidē

II FAMILIARIUM COLLOQ

Siquidem dabitur illius copia, nunquam erit fabularum inopia. Placent confabulones, superest ut locum dispicias amœnum. P. Ego uero tibi locum ostendam, ubi nec nemoris umbram, nec pratorum smaragdinum uirorem, nec fontium uiuas scatebras desiderabis. Dices dignam Musis sedem. Iod. Magnificæ pollicaris. P. Nimiū affixus es libris. Nimum affides libris. Immodico studio te maceras. Iod. Malim studio macrescere quàm amore. P. At non ideo uiuimus, ut studeamus, sed ideo studemus, ut suauiter uiuamus. Iod. Mihi uero uel immori chartis dulcè est. P. Equidem immorari probo, immori nō probo. Ecquid uoluptati fuit hæc deambulatio? Iod. Me quidē uehemēter oblectauit.

ALIA. PERSONAE. AEGIDIUS. LEONARDVS.

AEG. Quò noster Leonardus? L. Ad te ibam.  
 Aeg. Istud quidē facis insolens. L. Quā ob rem?  
 Aeg. Quia iam annus est quod nos non uiseris.  
 L. Malo in hanc peccare partem ut desiderer, quā ut obtundam. Aeg. Imò boni amici nulla est apud me satietas. Imò quo crebrius uenies, hoc mihi uenies gratior. L. Quid interim agitur domi tuæ?  
 Aeg. Multa sanè quæ nolim. L. Non miror. Sed iam ne peperit uxor? Aeg. Iam dudum, & quidē gemellos. L. Quid ego audio? Aeg. Sic res habet,

bet, atque illi iam denuo tumet uterus. L. Ist hoc pacto solet augeri familia. Aeg. Sed utinam fortuna sic auget pecuniã, ut uxor familiã. L. Iamne elocasti filiam? Aeg. Nondum. L. Vide ne parum tutum sit uirginem tam grandem detinere domi. Quærendus est gener aliquis. Aeg. Nihil opus. Iam proci complures illam ambiunt sponsam. L. Quid igitur superest, nisi, ut è multis deligas qui tibi maxime sit accommodus? Aeg. Omnes eiusmodi sunt, ut nesciam quem cui præferam. Sed abhorret à nuptijs filia. L. Quid ais? Atqui, ni fallor, iandudum nubilis est. Iandudum est apta uiro, maturã coniugio. Iam pridem est tempestiua uiro. Aeg. Quid ni? annum egressa iam decimum septimum. Maior annis duo de uiginti. Annũ iam agens undeuigesimum. Annos nata decem & octo. L. Cur abhorret igitur à matrimonio. Aeg. Ait se uelle Christo nubere. L. Sanè multas habet ille sponsas. An malo genio nupsit, quæ caste uiuit cum marito? Aeg. Mihi quidem non uidetur. L. Quis deus hunc affectũ afflauit filie? Aeg. Nescio, sed abduci ab hoc proposito nullis rationibus potest. L. Vide ne sint inantatores q̄ instigent et allectẽt. Aeg. Noui ego istos plagiarios. Sedulo arceo hoc hominum genus ab ædibus meis. L. Quid igitur est in animo? Morem geres animo puellæ? Aeg. Equidẽ oblectabor quoad licebit. Nihil nõ experiar,

B 4 quo

FAMILIARIVM COLLO-

quo mutem illius sententiam. Quod si pertendet, ul  
 coepit, nō pugnabo cū illius animo, ne forte uidear  
 θεομαχείη uel potius μοναχομαχείη L. Re/  
 ligiose tu quidem loqueris. Sed etiam atque etiam  
 fac explores uirginis constantiam, ne post facti pos  
 niteat, quum mutare non erit integrum. Aeg. E/  
 quidem adnitar pro mea uirili. L. Quid rerū ge/  
 runt filij? Aeg. Natus maximus iandudum maris/  
 tus est, breui pater futurus. Minimum ablegauit Lu/  
 tetiā. Nam hic nihil aliud quā ludebat. L. Quid  
 est? Aeg. Ut magister nobis redeat stultior quā  
 exierat. L. Bona uerba. Aeg. Medius iam coepit  
 initiari sacris. L. Precor ut bene uertat omnibus.

ALIA. PERSONAE. MO/  
 PSVS, DROMO.

M. Quid fit? Quid agitur Dromo? D. Sedetur.  
 M. Video: sed quomodo se res habent tuae? D. Ut  
 solent ijs, quibus superi sunt parum propitij. M.  
 Istuc ominis auertat deus. Quid agis? D. Equidē  
 ocium ago. Id quod uides, nimirum nihil. M. Prae/  
 stat ociosum esse quā nihil agere. Ego te fortassis  
 occupatum serijs negocijs, interpello. D. Imō ma/  
 xime uacuum. Iam enim me ceperat ocij tediū, et  
 congerronem desiderabam. M. Fortassis impedio,  
 interrumpo, interturbo tua negocia. D. Imō tedi/  
 um ocij discutis. M. Da ueniam si te parū in tem/  
 pore

QUIORVM FORMVLAE. 13

pore interpellarim. D. Imò ipso in tempore ad-  
uenis. Oportune te huc attulisti. Optatus ades.  
Interuentus tuus est mihi uehementer gratus. M.  
Fortassis aliquid seriae rei inter uos agitur, cui nos  
limesse impedimento. D. Imò lupus, quod aiunt,  
ades in fabula. Nam de te sermo erat. M. Facile  
erediderim, nam mihi huc uenienti mire tinniebat  
auris. D. Vtra? M. Leua. Vnde conijcio nihil ma-  
gnifice de me fuisse praedicatum. D. Imò nihil nõ  
honorificum. M. Vanũ igitur fuerit oportet. Sed  
quid est bonae rei? D. Aiunt te uenatorem esse fa-  
ctum. M. Imò iam intra casses meos est praeda  
quam uenabar. D. Quenam? M. Lepida puella,  
quam perhendie ducturus sum, uosq; oro, ut meas  
nuptias uestra praesentia dignemini honestare. D.  
Quenam est sponsa? M. Aloisia Chremetis filia.  
D. Egregium spectatorem formarum. Tuis oculis  
adlubuit illa, nigro capillitio, simis naribus, ore pro-  
largo, uentre prominulo. M. Desinite. Mihi eam  
duxi, non uobis. Non sat est, quod suo regi pulchra  
est regina? Ita demũ illa mihi placebit, si uobis non  
admodum placeat.

ALIA. SYRVS. GETA.

SYR. Opto tibi multam felicitatem. G. Et ego  
tibi conduplicatum opto, quicquid optas mihi. SY.  
Quid agis rei? G. Confabulor. S. Quid? con-  
B 5 fabulare

FAMILIARIVM COLLOQ

fabulare solus? G. Ut uides. S. Fortasse tecū.  
 Proinde tibi uidentum, ut cum homine probo fabu-  
 leris. G. Imò cum lepidissimo congerrone cōfabu-  
 lor. S. Quo? G. Apuleio. S. Istud quidem nun-  
 quam non facis. Sed amant alterna Camœna. Tu  
 perpetuo studes. G. Non est ulla studiorum satie-  
 tas. S. Verum, sed est tamen modus quidā. Non  
 omittenda quidem sunt studia, sed tamen intermit-  
 tenda nonnunquā. Non abiicienda sunt, sed re-  
 laxanda. Nihil suaue quod perpetuum. Volupta-  
 tes commendat rarior usus. Tu nihil aliud quā  
 studes. Perpetuo studes. Continenter incumbis li-  
 teris. Indesinenter inheres chartis. Studes noctes  
 ac dies. Nunquam nō studes. Assiduis es in studio.  
 Iugiter intentus es libris. Nullum facis studendi fi-  
 nem neq; modū. Nullam studijs tuis requiem inter-  
 misces. Nunquam studendi laborem nec intermittis  
 nec remittis. G. Age tuo more facis. Rides me ut  
 soles. Nunc ludis tu quidem me. Salse me rides. Sa-  
 tyricum agis. Naso me suspendis ad unco. Nō me fal-  
 lit tuum scomma. Nunc planè ioco mecū agis. Sunt  
 tibi risui. Rideor abs te. Pro delectamēto me habes.  
 Nunc me ludos deliciasq; facis. Eadem opera adsuc-  
 mihi auriculas asini. Ipsi codices puluere, situq; ob-  
 ducti loquuntur, quā sim immodicus in studio. S.  
 Emoriar, ni loquor ex animo. Dispeream, si quid  
 fingo. Loquor id quod sentio. Quod res est dico.  
 Scrio

QVIORVM FORMVLAE. 14

Serio loquor. Ex animo loquor. Non secus sentio,  
quàm loquor.

CVR NON VISIS.

G. Quid causæ est, quod tam diu nos non inuiseris?  
Quid rei est, quod nos tam raro uisis? Quid acci/  
dit, quod tanto tempore nos non adieris? Quare tam  
rarus es saluator? Quid sibi uult, quod nos iam diu  
non cõueneris? Quid obstitit, quo minus uisas nos  
frequentius? Quid impedimento fuit, quo minus  
feceris nobis tui uidendi copiam?

NON LICVIT PER OC/  
CVPATIONES.

S. Non licuit per otium. Volui quidem, at non li/  
cuit mihi per mea negocia. Hactenus non sinebant  
negocia, ut te uiserem. Non patiebantur undæ ne/  
gociorum quibus inuoluebar, ut te salutarem. Oe/  
cupator fui quàm ut potuerim. Tam uarijs distrin/  
gebar curis, ut mihi non fuerit liberum adire te.  
Vix ipsi mihi fuit copia mei, sic me totum molesta  
quædam negocia possidebant. Negocijs meis impu/  
tabis non mihi. Non defuit uoluntas, sed uetuit ne/  
cessitas. Hactenus non uacauit. Hactenus non  
contigit ocium. Hactenus non fuit uacuum.  
Non licuit per ualetudinem. Non licuit per tempe/  
statem. G. Equidem accipio tuam excusationem,  
sed hac lege ne sæpius utaris. Excusatio tua iustior  
est quàm

## FAMILIARIVM COLLOQVIVM

est quàm uellem, siquidem ualetudo fuit in causa. Hac lege mihi purgatus eris, si quod factum est, officio sarcias. Si superiorē cessationem crebra uisitatione penses. S. Tu nihil moraris istiusmodi officia nimium uulgaria. Amicitia nostra firmior est, quàm ut sit officijs istis uulgaribus alenda. Satis crebro uisit, qui constanter amat. G. Male sit istis curis, quæ te nobis adimunt. Quid imprecet istis negocijs, quæ talem amicum nobis inuidens? Pessime sit isti febris, quæ nos tam graui desiderio torsit tui. Male pereat ista febris te incolumi.

## MANDANDI AC POLLICENDI. Iacobus. Sapidus.

Iac. Quæso ut hæc res tibi cordi sit. Etiam atque etiam rogo ut hoc negocium tibi sit cura. Hac in re uelim, ut totum Sapidum exeras. Si me amas, causam hanc tractabis diligenter. Hac in re quæso ut aduigiles. Curabis hanc rem mea causa diligenter. Si uere is es, quem semper esse te mihi persuasi, fac ut sentiam hæc in causa, quanti me facias. Sap. Desine, ego tibi hoc effectum reddam, & quidem propediem. Euentum præstare non possum. Illud polliceor mihi nec fidem, nec studium defuturum. Curabo diligentius, quàm si mea res ageretur. Quanquam meam esse duco, quæ sit amici. Fac ut in me quiduis desideres citius, quàm fidem ac diligentiam.



## QVIORVM FORMVLAE. IS

gentiam. Tu fac in utranque dormias aurem. Ego tibi hoc confectum dabo. Tu quietus esto, in me recipio prouinciam omnem. Gaudeo mihi datam occasionem, qua declarem animum in te meum. Equidem oratione nihil polliceor, sed re praestabo, quicquid est amici sinceri, & ex animo bene uolentis. Nolim te lactare uana spe. Illud efficiam, ut dicas hoc negocij mandatum amico.

### SUCCESSVS.

Sapid. Res successit opinione melius. Fortuna uotis utriusq; fauit. Si fortuna tibi nupsisset, non potuisset esse secundior. Res tua & uentis & amne sequundo processit. Vicit etiam uota nostra fortuna fauentis afflatus. Opinor, te litasse Rhamnusia, cui sic ex sententia cadunt omnia. Plus impetraui quam fuisset ausus optare. Ventis per omnia sequendis hic cursus nobis peractus est. Res omnis cecidit ex sententia. Pulchre nobis cecidit haec alea. Opinor uolasse noctuam, adeo feliciter exijt, nobis parum sapienter institutum.

### GRATIA.

Iac. Equidem gratiam & habeo, & habiturus sum quoad uiuam maximam. Pro isto tuo in me officio, pares agere gratias uix possim, referre nequaquam. Video quantum debeam tuo in me studio. Nihil miror, neq; enim tu quicquam noui fecisti, & hoc magis debeo. De isto tuo in me officio, amo te mi Sapidus, 46

FAMILIARIVM COLLOQVIVM

vide, ut par est maxime. Quod hac in causa praestiteris amicū minime aulicum, & habetur à me gratia, & semper habebitur. Quod meum negociū tibi cordi fuerit, amote & habeo gratiam. Istoc officio gratiam inisti apud me maximam. Pergratum est, quod causam meā egeris bona fide. Ex omnibus officijs, quae tu plurima in me contulisti, hoc est longe gratissimū. Referre gratiam parem nequaquam possum. Agere acuratius, inter nos superuacaneum sit: quod unum possum habebō dum uixero. Istoc beneficio fateor tibi me magnopere deuinctum esse. Hoc nomine plus tibi debeo, quā ut unquam soluendo esse queam. Hoc beneficio arctius me tibi deuinxisti, quā ut possim dissoluere. Obligatiorem me tibi reddidisti, quā ut nomē meum è tuo diario possim unquam expungere. Hoc officio me sic tuum reddidisti, ut nullum mancipiū aequae sit in rebus heri sui. Hac re me tibi deuinctiorem reddidisti, quā ut unquam es alienum possim resoluerē. Plurimis nominibus tibi debeo, sed non alio plus quā hoc. Pro mediocribus beneficijs agenda sunt gratiae, hoc maius est, quā ut conueniat uerbis gratias agere.

RESPONSIO,

Sap. Aufer mihi ista. Maior est nostra necessitudo, quā ut uel tu mihi, uel ego tibi pro ullo officio debeā gratias agere. Non cōtuli hoc in te beneficiū, sed retuli. Mihi quidem abunde relatam gratiā arbitror, si

QVIORVM FORMVLAE. 16

Bitror, si gratum est quod feci sedulo. Non est cur mihi gratias agas, si pro tot tuis in me beneficijs nõ vulgaribus, hoc officioli rependi. E quidem nihil laudis mereor, ingratiſſimus habendus, si defuiſſem amico. Quicquid est in rebus meis, quicquid mea cura præſtari poteſt, hoc tam tuũ eſſe ducito, quàm id quod eſt maxime tuum. Videor mihi beneficium accepiffe, quod noſtrũ officium boni conſulis. Pro tanto officio mihi tam accurate gratias agis, quare si nõ multa maiora tibi debeam. Sibi benefacit, qui benefacit amico. Qui bene meretur de amico, non dat beneficiũ, ſed ſcœnerat. Si ex animo probas officium in te meum, ſacutare ſæpius. Ita credam tibi gratum eſſe, quod feci, si quoties deſiderabis operã meam, non roges, ſed imperes quod uoles.

ALIA IN CONGRESSV.  
ARNOLDVS. CORNELIVS.

A. Salue multũ Corneli iam toto ſeculo deſiderate.  
C. Salue & tu ſodalis exoptatiſſime. A. Iam deſperabamus reditum tuũ. Vbi tam diu peregrinatus es? C. Apud inferos. A. Non admodum ueri diſſimile dicis. Adeo nobis rediſti ſqualidus, macilentus ac pallidus. C. Imò ab Hieroſolymis adſum tibi, nõ à profundis manibus. A. Quis deus, aut quis uentus te illuc adigit? C. Quæ res adigit alios innumeros? A. Stultitia, ni fallor. C. Igitur hoc cõuicij non in

FAMILIARIVM COLLO/

eij non in me solum competet. A. Quid illic uenar  
 bare? C. Vt miser essem. A. Istuc licebat domi.  
 Est ne illic, quod tu putes spectatu dignum? C. Vt  
 ingenue fatear tibi, nihil. Ostenduntur quaedam mo  
 numenta uetustatis, quorum mihi nihil nō uideba  
 tur cōmenticiū, & excogitatū ad alliciendos simi  
 plices, & credulos. Imò nec hoc arbitror illos scir  
 re, quo loco sita fuerit olim Hierosolyma. A. Quid  
 igitur uidisti? C. Magnam ubique barbariem. A.  
 Nihilo sanctior redis? C. Imò multis partibus de  
 terior. A. Nummatioer ergo. C. Imò nudior leber  
 ride. A. An non pœnitet igitur tam longinquæ pe  
 regrinationis frustra susceptæ? C. Nec pudet, quia  
 tam multos habeo stulticiæ meæ sodales, nec pœni  
 tet, quia frustra iam sit pœnitere. A. Nihil ergo  
 fructus refers è tam difficili peregrinatiōe? C. Mul  
 tum. A. Quid tandem? C. Quia posthac uiuam  
 suauius. A. An quia iucundum est meminisse labo  
 rum actorum? C. Est isthuc quidem nonnihil, sed  
 non in hoc sunt omnia. A. Est ne aliud præmiū?  
 C. Est sanè. A. Quod? effare. C. Magna uolup  
 ptate quoties libebit, & ipse me afficiam, & alios  
 mentiendo, quoties itinerariū meum recitabo in con  
 ciliabulis aut in conuiujs. A. Profecto, non tu pro  
 cul aberras à scopo. C. Deinde non minus capiam  
 uoluptatis, quum alios audiam mentientes de rebus,  
 quas nec audierunt unquam, nec uiderunt. Idq; fa  
 ciunt tanta

QUIORVM FORMVLAE. 17

eiunt tanta confidentia, ut cum narrent Siculis geris uaniora, tamen sibi etiam persuadeant se uera loqui. A. Mira uoluptas. Non omnino tibi perijt oleum & opera, quod aiunt. C. Imò hoc arbitror aliquid quanto consultius, quam qui paulo pecuniæ conducti proficiscuntur in militiam, omnium scelerum scholam. A. Sed illiberalis est uoluptas, ex mendacijs uoluptatæ capere. C. Verum hoc aliquanto liberalius quam obtrectatiõe, uel delectare, uel delectari, aut alea tempus & rem perdere. A. Cogor quidẽ per dibus in tuam ire sententiam. C. Verum est & aliud fructus. A. Quis? C. Si quis erit amicus egregie charus, affinis huic insanie, eum admonebo ut domi maneat. Ut nauatæ solent eiecto naufragio, monere nauigaturos quid periculi sit uitandũ. A. Utinã mihi monitor ad fuisses in tempe. C. Quidẽ num similis morbus te quoq; corripuit? Num afflauit & te huius mali contagium? A. Visi Romã & Compostellã. C. Deum immortalẽ, quanto mihi solatio est, te contigisse stultitiæ meæ sociũ. Quæ Pallas isthuc tibi misit in mentem? A. Non Pallas, sed ipsa Moria: præsertim cum domi haberem uxorem, integra adhuc ætate, liberos aliquot, et familiã quæ pendebat ex me et opera mea quotidiana alitur. C. Oportuit fuisse seriæ rei quippiã, quod te à charissimis tuis distraxerit. Narra obsecro. A. Pudet dicere. C. Non apud me, qui, ut scis, eodẽ tenear ma

C lo. A.

FAMILIARIVM COLLOQVIVM

lo. A. Cōpotabamus aliquot uiani. Vbi uino in-  
 luerat animus, erat qui prædicabat sibi esse in an-  
 salutare diuum Iacobum: erat alter qui diuū Petrū.  
 Ilico nō defuit unus aut alter, qui sponderent se cō-  
 mites fore. Tandem uisum est ut omnes irent simul.  
 Ego, ne uiderer parum cōmodus cōpotor, polliatus  
 sum et ipse. Mox agitari cœptū, utro potius iremus  
 Romā an Compostellā. Factum est senatusconsultū,  
 ut bonis auspicijs utroq; postridie proficiāremur o-  
 mnes. C. O graue decretū, dignius q; uino inscri-  
 beretur quam æri. A. Ac mox ingens obambulat pa-  
 tera, quam ubi suo quisq; ordine ebibisset, uotū fa-  
 ctum est inuiolabile. C. Noua religio, sed num omni-  
 bus contigit reditus incolumis? A. Oībus præter q̄  
 tribus, quorū unus in profectione moriens mandauit  
 nobis, ut suis uerbis salutē diceremus, Petro et Iaco-  
 bo. Alter perijt Romæ, iussitq; ut suo nomine saluta-  
 remus uxorē ac liberos. Ternū reliquimus Floren-  
 tiæ, ualetudinis planē deploratæ. Opinor iam esse a-  
 pud superos. C. Adeo ne pius erat? A. Imò nuga-  
 tor maximus. C. Vnde igitur isthuc suspicāre? A.  
 Quia peram habebat indulgentijs largissimis disten-  
 tam. C. Audio, sed iter est longū in cœlum, nec sa-  
 tis, ut audio, tutum, ob latrūculos qui obsident regio-  
 nem æris mediā. A. Verū, sed ille sat erat muni-  
 tus diplomatibus. C. Qua lingua descriptis? A.  
 Romana. C. In tuto est igitur. A. Est, nisi forte in-  
 adat

QVIORVM FORMVLAE. 18

vidat in geniū aliquē, qui latine nesciat. Tum esset illi redeundū Romā, et nouū diploma impetrandū.

C. Bullæ uenduntur illic et mortuis? A. Maxime.

C. Sed interim illud mihi monendus es, ne quid effutias incogitantius. A. Ego uero nihil eleuo indulgentias, sed combibonis mei stultitiā rideo, qui cum esset alioqui nugator nugatissimus, salutis suæ prostram, ut aiunt, ac pappim in membrana collocarit, potius quam in correctis affectibus. Sed quando fruemur illa uoluptate quam modo prædicabas? C. Quñ erit commodum. Adornabimus compotiunculā aliquam, uocabimus nostri ordinis homines. Ibi certabimus mentiēdo, nosq; affatim mutuis mendacijs oblectabimus. A. Age fiat.

ALIA. PAMPHAGVS. COCLES.

P. Aut parum prospiciunt oculi, aut Coclitē ueterem compotorem meum uideo. C. Imò nihil te saluunt oculi tui. uides sodalem ex animo tuū. P. Nulla cuiquā erat spes reditus tui, qui tot annos absueris, ignotus omnibus, quæ te terrarū haberet regio. Sed unde dic quæso? C. Ab antipodibus. P. Imò ab insulis, opinor, fortunatis. C. Gaudeo q; agnoueris sodalem tuum: nam uerebar, ne sic domū redirem, quemadmodum redijt Vlysses. P. Quo nam pacto redijt ille? C. Nec ab uxore est agnitus. Solus canis iam uetulus mota cauda dominum agnouit.

P. Quot annos ille domo absuerat? C. Viginti.

C 2 P. Tu

FAMILIARIVM COLLOQ

P. Tu plures abfuiſti, nec tamen ſeſellit me tua faci-  
es. Sed quis iſthuc narrat de Vlyſſe? C. Homerus.  
P. Oh. Ille, ut aiunt, pater eſt omnium fabularum.  
Fortaſſis uxor interim aſciuerat taurum alium, &  
iccirco non agnouit Vlyſſem ſuum. C. Imò nihil  
illa caſtius. Sed Pallas addiderat illi ſeniũ ne poſſet  
agnosci. P. Qui tandem agnitus eſt? C. E tu  
berculo quod habebat in digito pedis. Id animad-  
uertit nutrix iam admodum anus, dum illi pedes la-  
uat. P. O curioſam lamiam. Et tu miraris ſi te ag-  
nouit, ex iſto tam inſigni naſo? C. Nihil me pœnitet  
huius naſi. P. Nec eſt cur pœniteat, cum organiẽ  
tibi ſit, ad res tam multas utile. C. Ad quas? P.  
Primum ad extinguentes lucernas, erit cornu uicẽ.  
C. Perge. P. Deinde ſi quid hauriendum erit e  
cauo profundiore, fuerit loco promuſcidis. C. Pa-  
pe. P. Si manus erunt occupatæ, licebit uti uicẽ pa-  
xilli. C. Etiã ne amplius? P. Conducet exci-  
tando foculo, ſi de fuerit follis. C. Belle narras.  
Quid præterea? P. Si lumen officiat ſcribenti, præ-  
bebit umbraculum. C. Ha ha he. Eſt præterea q  
dicas? P. In bello nauali præbebit uſum harpagor-  
nis. C. Quid in bello terreſtri? P. Erit loco cly-  
pei. C. Quid deinde? P. Findendis lignis erit au-  
neus. C. Probe. P. Si preconem agas, erit tuba.  
Si clauſicum canas, cornu: ſi fodias, ligo: ſi metas,  
falx: ſi nauiges, ancora. In popina fuerit fuſcina, in  
piſcando



QVIORVM FORMVLAE. 19

piscando hamus. C. O me felicem, nesciebam me  
 circaferre tam ad multa conducibilem suppellecti-  
 lem. Sed quis interim terrarum angulus te habuit?  
 P. Roma. C. At qui fieri potuit, ut in tanta luce  
 nemo te sciret uiuum? P. Imò nusquam magis la-  
 tent boni uiri. Adeo ut sæpe clarissima luce neminẽ  
 uideas in frequenti foro. C. Redis igitur nobis ob-  
 nustus sacerdotijs. P. Venatus equidem sum sedu-  
 lo, at parum fauit Delia. Nam complures illic pi-  
 scantur hamo, quod dici solet, aureo. C. Stultum  
 piscandi genus. P. Et tamẽ pulchre succedit nõnuli-  
 lis. Sed non oĩbus feliciter cadit hæc alea. C. An  
 non insigniter stulti sunt, qui plumbum commutant  
 auro? P. Sed tu non intelligis in plumbo sacro, ue-  
 nas auri subesse. C. Quid igitur redisti nobis, nihil  
 aliud quàm Pamphagus? P. Non. C. Quid igitur?  
 P. Lupus hians. C. Felicius redeunt, qui asi-  
 ni redeunt sacerdotiorũ sarcina graues. Cur maui-  
 sacerdotium quàm uxorem? P. Quia mihi placet  
 ocium. Arridet Epicurea uita. C. At mea senten-  
 tia suauius uiuunt, quibus est lepida puella domi,  
 quam complectantur quoties libet. P. Sed adde nõ  
 nunquam quum non libet. Amo uoluptatem perpe-  
 tuam. Qui ducit uxorem, uno mense felix est: cui  
 contingit opimum sacerdotium, in omnem usque ui-  
 tam fruitur gaudio. C. Sed tristis est solitudo. A-  
 deo ut nec Adam suauiter uicturus fuerit in para-

C 3 diso,

FAMILIARIVM COLLO

diso, nisi deus illi adiunxisset Euā. P. Non decribit  
Eua cui sit opulentū sacerdotiū. C. Sed uoluptas  
non est uoluptas, quæ cum mala fama, malaq; cōsā-  
entia cōiuncta est. P. Verū dicis, et iccirco mihi in  
animo est, confabulatione librorū solitudinis tædiū  
fallere. C. Istis quidem sodalibus nihil iucundius.  
P. Sed redis ne ad tuam piscationē? C. Redeo si-  
licet parare nouam escam. P. Auream ne aut ar-  
genteam? C. Vtram libet. P. Bono animo es, pater  
suppeditabit. C. Nihil illo tenacius. Nec credi-  
turus est denuo, cum intellexerit mihi sortem etiam  
perisse. P. Verum ista lex est alex. C. Sed ille  
non delectatur hac alea. P. Si pernegabit ille, cō-  
monstrabo tibi unde possis quantum uoles pecunie  
sumere. C. Tu uero mihi uoluptatem narras. Age  
monstra, iam cor mihi salit. P. In promptu est.  
C. Nactus es thesaurum aliquem? P. Si nactus  
essem, mihi nactus essem, nō tibi. C. Si queam cor-  
radere centum ducatos reuixerit spes. P. At ego ti-  
bi commonstro, unde possis haurire centum milia.  
C. Quin tu igitur me beas. Ne diutius eneca. Die  
unde. P. Ex asse Budæi. Illic reperies innumeras  
myriades, siue auream malis monetam, siue argen-  
team. C. Abi quò dignus es cum tuo ioco. Illinc tibi  
resoluā quod debuero pecunie. P. Resolues, sed q̄  
illinc tibi numeraro. C. Age noui nasum tuū. P.  
At mihi præ te nasus est nullus. C. Imò nihil te na-  
sutius,

*sutius. Nihil es nisi nasus. P. Ludis in re seria. Hac in re ringi possim citius quam ridere. Res grauior est quam ut ridere libeat. Tu si hic esses non luderes. C. Sum tibi ludibrio. Illudis mihi, & illudis me. Ioco me tractas in re neutiquam iocosa. P. Minime rideo, id quod res est dico. Non rideo quidem, imò rem ipsam dico. Serio loquor. Ex animo loquor. Simpliciter loquor. Vera loquor. C. Ita tibi semper stet in capite pileum, ut ista tu simpliciter loqueris. Sed cesso abire domum, cogniturus quo in statu sint illic omnia? P. Offendes noua permulta. C. Credo, sed utinam omnia ex animi sententia. P. Istud optare licet omnibus, sed hactenus obtigit nemini. C. Hoc quoque comoditatis adferet utrique nostrum sua peregrinatio, quod dulcior erit posthac domus. P. Nescio, nam uideo quosdam septies illò recurrere. Adeo scabies illa sine fine solet prurire, si quem semel inuasit.*

ALIA MILITARIA.

Hanno. Trasymachus.

*H. Vnde nobis redis Vulkanus, qui Mercurius hinc abieras? T. Quos Vulcanos, aut quos Mercurios mihi narras? H. Quia alatus uidebare quum aleres, nunc claudicas. T. Sic à bello rediri solet. H. Quid tibi cum bello, homo quauis dama fugacior? T. Spes prædæ reddiderat fortè. H. Multum igitur*  
*C 4 refers*

FAMILIARIUM COLLOQ

refers manubiarum. T. Imò zonam inanem. H. Tanto minus grauare sarcina. T. Atqui sceleribus onustus redeo. H. Grauis profecto sarcina, si uerum dicit propheta, qui peccatū appellat plumbum. T. Plus illic scelerum & uidi et patraui, quàm unquam antehac in omni uita. H. Ecquid igitur arridet uita militaris? T. Nihil neq; scelestius, neq; calamitosius. H. Quid igitur in mentem uenit istis, qui nummo conducti, nonnulli gratis, currūt ad bellum, nō aliter quàm ad cōuiuiū? T. Ego nihil aliud cōiectare possum, quàm illos agi malis furijs, seseq; totos malo dæmoni, ac miseriæ deuouisse: nec aliud quàm hic manes suos anticipare. H. Ita quidē uidetur. Nā ad res honestas uix ullo precio conduci queant. Sed expone nobis quomodo gestum sit præliū, & utrò se se inclinarit uictoria. T. Tantus erat strepitus, tumultus, tubarum bombi, cornuū tonitrua, hinnitus equorū, clamor uirorū, ut neq; uidere potuerim quid gereretur, adeo ut uix scirem ubi essem ipse. H. Unde igitur ceteri qui ex bello ueniunt, sic depingunt singula, qd quisq; dixerit aut gesserit, quasi nusquā nō adfuisset oculos spectatores? T. Ego credo istos mentiri splendide. In tentorio meo quid gestum sit scio: quid in prælio, prorsus ignoro. H. An ne hoc quidem scis, unde tibi uenerit claudicatio? T. Vix. Ita me Mauors posthac male amet. Suspikor aut saxo, aut equi calce lesū genu. H. At ego scio. T. Scis,

QVIORVM FORMVLAE. 21

T. Scis, an tibi narrauit aliquis? H. Non, sed diuino. T. Dic igitur. H. Quum fugeres pavidus collapsus humi, offendisti in siliam. T. Disperea, nisi rem acu tetigisti. Adeo uerisimile est quod diuina nasti. H. Abi domum, & uxori narra tuas uictorias. T. Illa mihi occinet haud suaue Encomium, qui nudus redeam. H. Sed unde restitues, quod rapuisti? T. Iampridem restitui. H. Cui? T. Scortis, œnopolis, & ijs qui me uicerunt alea. H. Satis militariter, par est, ut quod male partum est peius dispereat. Verum à sacrilegijs, opinor, temperatū est. T. Imò nobis illic erat sacrum nihil. Nec prophanis parcitū est, nec phanis. H. Quo pacto saracens? T. Negant oportere sarari, quod in bello cōmissum sit: iure fit, quod illic fit. H. Iure belli fortassis. T. Tenes. H. At istud ius summa est iniuria. Te non patriæ pietas, sed prædæ spes pertraxit in bellum. T. Fateor, & arbitror paucos illuc ire sanctiore proposito. H. Est aliquid insanire cum multis. T. Concionator è suggestu pronunciauit bellū esse iustū. H. Suggestus ille non solet mentiri. Sed ut iustum sit principi, non continuo iustum est tibi. T. Audiui ex Rabinis, quod licet sua cuiq; arte uiuere. H. Præclara ars, incendere domos, diripere templa, uiolare sacras uirgines, spoliare miseros, occidere innoxios. T. Lanij cōducuntur ad mactandū bouem, quur nostra ars reprehenditur, quod cōducimus

C. S. amur

FAMILIARIVM COLLOQVIVM

amur ad mactandos homines? H. Nō eras soliatuſ  
quō nam eſſet migratura anima tua, ſi cōtigiffet in  
bello cadere? T. Non admodū. Bona ſpes habebat  
animum meum. Nam diuæ Barbaræ me ſemel com-  
mendaram. H. Receperat illa tutelam tui? T. Sic  
mihi uiſa eſt annuere capite aliquantulū. H. Quan-  
do iſthuc tibi uiſum eſt, mare? T. Non, ſed à cœna.  
H. Sed tum, ut arbitror, etiā arbores tibi uiſæ ſunt  
ambulare. T. Vt hic diuinat omnia. Sed præcipua  
ſpes erat in diuo Chriſtophoro, cuius imaginē quo-  
tidie cōtemplabar. H. In tentorijs? Vnde illic diui?  
T. Carbone pinxeramus illum in tentorijs. H. Ni-  
mirum haudquaquam ficulnum, ut aiunt, præſidiū  
erat, carbonarius ille Chriſtophorus. Sed extra iō-  
cum, nō uideo qui poſſis expiari à tantis flagitijs, ni-  
ſi te cōferas Romam. T. Imò noui uiam breuiorē.  
H. Quam? T. Ibo ad Dominicales, illic paululo  
tranſigam cum commiſſarijs. H. Etiam de ſacri-  
legijs? T. Etiam ſi Chriſtum ipſum ſpoliaſſem, ac  
decollaſſem etiam, tam largas habent indulgentias,  
et authoritatem componendi. H. Bene habet, ſi ue-  
ſtram compositionem deus ratam habuerit. T. Imò  
magis metuo, ne diabolus non habeat ratam. Nam  
deus natura placabilis eſt. H. Quem tibi ſacerdo-  
tem deliges? T. Cui cognouero quàm minimū eſſe  
frontis ac bonæ mentis. H. Ne non habeant ſimi-  
les labra lactucas. Ab illo purus abibis ad corpus do-  
minicum?

minicum? T. Quid ni? Postquam semel effude  
 ro sentinam in illius cucullam, ego me exoneravi sar-  
 cina. Ipse uiderit, qui absoluit. H. Qui scis, an ab-  
 soluat? T. Scio. H. Quonam iudicio? T. Quia  
 manum imponit capiti admurmurans, nescio quid.  
 H. Quid si reddat tibi omnia peccata tua cum ma-  
 num imponit, hæc admurmurās: Absoluo te ab omni-  
 bus benefactis, quæ nulla in te comperio, & restituo  
 te tuis moribus, talemq; dimitto, qualem accepi? T.  
 Viderit ille quid dicat, mihi satis est, quod me credo  
 absolutum. H. Sed isthuc tuo periculo credis. For-  
 tisse non fuerit satis deo, cui debes. T. Vnde tu mi-  
 hi obuius, qui mihi conscientiam è serena nubilam  
 redderes? H. Felix occursum. Bona auis est obuius  
 amicus qui bene moneat. T. Nescio quàm bona, cer-  
 te parum suavis.

HERILIA. RABINIVS. SYRVS.

R. Heus heus furcifer, iam dudum rauresco clamo-  
 re, nec tu tamen expergisceris. Videre mihi uel cum  
 gliribus certare posse. Aut ocyus surge, aut ego tibi  
 fuste somnum istum exautiam. Quando crapulam he-  
 sternam edormieris? Non te pudet somnium homi-  
 nis, in multam lucem stertere? Qui frugi sunt famu-  
 li, solent exortum solis anteuertere, curareq; ut he-  
 rus surgens reperiat omnia parata. Ut egre diuelli-  
 tur à nido tepefacto cuculus. Dum scalpit caput,  
 dum

FAMILIARIVM COLLO-

dum distendit nervos, dum oscitat, tota abit hora.  
 S. Vix dum diluxit. R. Credo, tibi. Nam tuis oculis adhuc multa nox est. Tibi nox adhuc est concubia. S. Quid me iubes facere? R. Fac ut luceat focolus, uerre pileum ac pallium, exterge calceos & crepidas. Inuersas caligas, primum intus purga scopis, mox foris. Deinde suffitum aliquem facito, purgando aëri. Accende lucernam. Muta mihi lineum indusium, ac sica lotum. S. Fiet. R. Atqui moue te ocyus, iam hæc fecisse oportuit. S. Moueo. R. Video, sed nihil promoues. Ut incedit testudo? S. Nō possum simul sorbere & flare. R. Etiam sententias loqueris carnifex? Tolle matulam. Compone lecti stragulas, reuolue cortinas. Verre pauimentum. Verre solum cubiculi. Adfer aquam lauandis manibus. Quid cessas asine? Annus est priusquam accedas candelam. S. Vix reperio scintillam ignis. R. Sic heri condidisti. S. Nec follem habeo. R. Ut responsat nebulo, quasi qui te habeat, careat folle. S. Quam imperiosum habeo dominum, uix huius iussis decem expediti famuli fecerint satis. R. Quid ais cessator? S. Nihil, omnia recte. R. Non ego te audio obmurmurantem? S. Equidem precor. R. Credo, pater noster inuersum. Precreationem, opinor, Dominicam præpostere. Quid gannis de imperio? S. Precor tibi ut fias imperator. R. Et ego tibi, ut fias homo ex caudice. Sequere me ad templum.



QVIORVM FORMVLAE. 23

templum usq;. Mox domum recurrito, lectos concin-  
nato. Hæc confusa, suo quæq; loco digerito. Fac ut  
niteat tota domus. Matulam defricato. Hæc sordis  
da submoueto ab oculis, fortassis inuisent me quidã  
aulici. Si quid sensero prætermissum, uapulabis lar-  
giter. S. Hic sanè noui benignitatē tuam. R. Pro  
inde caue si sapis. S. At interim de prandio nulla  
mentio. R. Vah, ut hic mentem habet furcifer.  
Non prandeo domi. Itaq; sub horam decimã ad me  
transcurrito, deducturus me eò, ubi sum pransurus.  
S. Tibi quidem prospectum, sed hic interim nihil  
est quod edam. R. Si non est quod edas, est quod  
esurias. S. Nemo fit esuriendo satur. R. Est pan-  
nis. S. Est, sed ater & fursuraceus. R. Delicias  
hominis. Te quidem fœnum esse oportuit, si pabu-  
lum detur te dignum. An postulas, ut te asinum tan-  
tum placentis saginem? Si fastidis panem citra ob-  
sonium, adde porrum, aut si mauis cepe.

ALIA.

R. Est tibi abeundum in forum. S. Tam procul.  
R. Non sunt nisi sex passus. Tibi pigro sunt bis  
mille. Consulam autē tuæ pigritiæ. Eadē legatione  
multa conficies negocia. Tu supputa in digitos, ut  
memineris. Primum deslectes ad uestiarium, ac tho-  
racem undulatū, si iam perfectus est, ab eo recipies.  
Hinc quæres Cornelium ueredarium. Is plerunq;  
est in ceruo, ibi potitat. Rogabis si quid habet lite-  
rarum ad

FAMILIARIUM COLLO-

varum ad me, & ad quem diem sit profecturus. De  
inde conuenies mercatorē pannariū, rogabis meis  
uerbis, ne quid sollicitus sit, quod pecuniam nō mi-  
serim ad diem præscriptum. Numerabitur prope/  
diem. S. Quando? Ad Calendas Græcas? R. Ri-  
des ganeo. Imò ante Calendas Martias. In reditu  
deflectes ad leuam, & ex bibliopolis disces, siquid  
aduectum sit nouorum libellorum è Germania. Co-  
gnosce, qui sint & quanti uenales. Post hæc roga-  
bis Coclenium, ut mihi dignetur esse conuiua, alio-  
qui cœnatura soli. S. Etiam conuiuas uocas? non  
habes domi, unde uel murempascas. R. Proinde  
tu confectis cæteris abi ad macellum, & eme nobis  
armum ouillum. Eum curabis eleganter assum.  
Audin hæc? S. Plura quàm uellem. R. At uir-  
de, ut memineris. S. Vix potero dimidium. R.  
Etiam hic stas cessator? Iam redisse oportuit. S.  
Quis possit unus tot rebus obeundis sufficere? De-  
duco ac reduco. Sum illi à scopis, à matula, à pe-  
dibus, ac manibus, à poculis, à libellis, à rationibus,  
à iurgijs, à legationibus. Postremo nō uideor illi sat  
occupatus, nisi sim & coquus.

A L I A.

R. Profer ocreas, nam equitandum est. S. En ad-  
sunt. R. Probe quidē abs te curatæ, totæ alben-  
sint. Opinor nec extersas, nec unctas hoc anno, a-  
deo rigent præ siccitate. Exterge, subuuido panno.

Mox unge

QVIORVM FORMVLAE. 24

Mox unge ad ignē diligenter, ac macera donec mollescant. S. Curabitur. R. Vbi calcaria? S. Ad sunt. R. Verum, sed obducta rubigine. Vbi frenū & ephippia? S. Sunt in promptu. R. Vide ne quid desit, aut ne quid ruptū, aut mox rumpendū, ne quid nobis sit in mora, cū erimus in cursu. Prope ad sellariū, & hoc lorum cura sarcindū. Reuersus inspice soleas, siue calceos equorū, num qui clauī desint, aut uacillent. Quā macilenti sunt equi, quamq; strigosi. Quoties absterges, aut pectis illos in anno? S. Imò quotidie. R. Nimirū res ipsa loquitur, Ieiunant, opinor, nōnunq̄ totum triduū. S. Minime. R. Negas tu quidem, sed aliud dicturi sint equi, si loqui liceat. Quāq̄ satis loquūtur ipsa macie. S. Curo sedulo. R. Quur igitur tu habitis orequis? S. Quia nō pascor sceno. R. Hoc igitur restat. Adorna manticā celeriter. S. Fiet.

MONITORIA. PAEDAGOGVS.

PVER.

Pæd. Tu mihi uidere non in aula natus, sed in cauila, adeo moribus es agrestibus. Puerum ingenuum decent ingenui mores. Quoties alloquitur te quispiam cui debes honorem, compone te in rectum corporis statū. Aperi caput. Vultus sit nec tristis, nec toruus, nec impudens, nec proteruus, nec instabilis, sed hilari modestia temperatus: oculi uerecundi, semper intenti in eum cui loqueris: iuncti pedes, quiete manus. Nec

FAMILIARIVM COLLOQVIVM

manus. Nec uacilles alternis tibijs, nec sint gesticulosa manus, nec mordeto labrum, nec scabito caput nec fodito aures. Vestis item ad decorum componatur. Ut totus cultus, uultus, gestus, & habitus corporis ingenuam modestiam, & uerecundam indolem praeseferat. Pu. Quid si mediter? Pæ. Fac. Pu. Siccine satis? Pæ. Nondum. Pu. Quid si sic? Pæ. Propemodum. Pu. Quid si sic? Pæ. Hem satis est. Istuc tene. Ne sis inepte loquax, aut præceps. Nec uagetur animus interim, sed sis attentus, quid ille dicat. Si quid erit respondendum, id facito paucis, ac pudenter, subinde præfatus honorem, nonnunquam & addito cognomēto honoris gratia. Atque identidem modice flectas alterū genu, præsertim ubi responsum absolueris. Nec abeas, nisi præfatus ueniam, aut ab ipso dimissus. Nunc age specimen aliquod huius rei nobis præbe. Quantum temporis abfuiſti à maternis ædibus? Pu. Iam sex fermè menses. Pæ. Addendum erat, domine. Pu. Iam sex fermè menses domine. Pæ. Non tangeris desiderio matris? Pu. Nonnunquã sanè. Pæ. Cupis eam reuisere? Pu. Cupio domine, si id pace liceat tua. Pæ. Nunc flectendum erat genu. Bene habet. Sic pergit. Cum loqueris caue ne præcípites sermonē, aut hæsites lingua, aut palato imurmures, sed distinetè, clare, articulate cōsuescito proferre uerba tua. Si quem præteribis natu grandem, magistratum, sacerdotem.

QVIORVM FORMVLAE. 25

cerdotem, doctorem, aut alioqui uirum grauem me-  
 mēto aperire caput, nec pigeat inflectere genu. Iti-  
 dē factō, quū prateribis edem sacrā, aut imaginem  
 crucis. In conuiuio sic te praebebis hilarem, ut sem-  
 per memineris quid deceat etatem tuam. Postre-  
 mus omnium admoueto manum patinae. Si quid da-  
 tur lautius, recusato modeste, si instabitur, accipe, et  
 age gratias, mox decerpta portiuncula, quod reliquū  
 est illi reddito, aut alicui proxime accumbenti. Si  
 quis praebibet, hilariter illi bene precare. Sed ipse bi-  
 bito modice. Si non sitis, tamen admoueto cyathum  
 labijs. Arride loquētibus, ipse ne quid loquaris nisi  
 rogatus. Si quid obscœni dicetur, ne arride, sed cōpo-  
 ne uultum quasi non intelligas. Ne cui obtrectato,  
 ne cui temet anteposito. Ne tua iactato, ne aliena  
 despiato. Esto comis etiam erga tenuis fortunæ soda-  
 les. Neminem deferto. Ne sis lingua futili. Ita fiet,  
 ut sine inuidia laudem inuenias & amicos pares.  
 Si uideris cōuiuium esse prolixius, precatus ueniam,  
 ac salutatis conuiuii subducito te à mensa. Vide ut  
 horum memineris. Pu. Dabitur opera mi præce-  
 ptor. Nunquid aliud uis? Pæ. Adito nunc libros  
 tuos. Pu. Fiet.

DE LVSV. NICOLAVS, HIE/  
 ronymus, Cocles, Pædagogus.

N. Iamdudum & animus & cœlum, & dies inuitat  
 D adl u/

FAMILIARIVM COLLOQVIVM

ad ludendum. H. Inuitant quidem hæc omnia, sed  
 solus præceptor non inuitat. N. Subornandus ora-  
 tor quispiam, qui ueniam extorqueat. H. Apte qui-  
 dem dictum extorqueat. Nam citius clauam extorse-  
 ris è manu Herculis, quàm ab hoc ludendi ueniam.  
 At olim illo nemo fuit ludendi auidior. H. Verum,  
 sed iam olim ille oblitus est se fuisse puerum. Ad uer-  
 bera facillimus est & liberalis, hic parcissimus idèq;  
 difficillimus. H. Attamen protrudendus est aliq;  
 legatus, non admodum uerecundæ frontis, quem nõ  
 ilico protelet suis seuis dictis. N. Eat qui uolet,  
 ego carere malo quàm rogare. H. Nemo magis  
 accommodus ad hanc legationem, quàm Cocles.  
 N. Nemo profecto. Nam perfrictæ frontis est, ac be-  
 ne linguax. Deinde sensum hominis pulchre cal-  
 let. H. I, Cocles ab omnibus nobis magnam ini-  
 turus gratiam. C. Equidem experiar sedulo.  
 Verum si non successerit, ne conferte culpam in ora-  
 torem uestrum. H. Bene ominare, si te satis no-  
 uimus impetrabis. Abi orator, redibis exorator.  
 C. Eo. Bene fortunet legationem meam Mercurius.  
 Salue præceptor. P. Quid sibi uult nugament-  
 tum hominis? C. Salue præceptor obseruande.  
 P. Insidiosa ciuilitas. Satis iam salueo. Dic quid  
 tibi uelis. C. Totus discipulorum tuorum grex  
 orat ludendi ueniam. P. Nihil aliud quàm lu-  
 ditis, etiam absq; uenia. C. Scit tua prudentia uir-  
 gore

QUIORVM FORMVLAE. 26

gorem ingeniorum excitari moderato lusu, quemadmodum nos docuisti ex Quintiliano. P. Sanè ut istuc tenes quod pro te facit, laxamento opus est ijs, qui uehementer laborant. Vobis qui segniter studetis, & acriter luditis, freno magis opus est, quàm laxatis habenis. C. Adnitimur pro uiribus. Et si quid haecenus cessatum est, post diligentia sarcietur. P. Oh sartores. Quis erit fideiussor istuc futurum? C. Ego capitis mei periculo non dubitem esse sponsor. P. Imò culi periculo potius. Scio quàm non sit tutum tibi credere. Tamen hic periculum faciam quàm sis bonæ fidei. Si dederis uerba, post hac ne quicquam mecum egeris. Ludant, sed gregatim in campis. Ne diuertant ad computationes aut alia nequiora. Mature se recipiant domum ante solis occubitum. G. Fiet. Exorauit quanquam ægre. H. O lepidum caput. Omnes amamus te plurimum. C. Sed interim cauendum ne quid peccemus, alioqui de meo tergo dependendū foret, fideiussi uestro omnium nomine. Quod si quid accidat, non est quod me posthac utamini legato. H. Cauebitur. Sed quod lusus genus potissimum placet? C. De hoc in campo consultabimus.

P I L A .

N. Nulla res melius exercet omnes corporis partes, quàm pila palmaria. Sed aptior hyemi quàm  
D 2      æstati.

FAMILIARIVM COLLOQVIVM

æstati. H. Nullum anni tempus nobis parum ac commodum est ad ludendum. N. Minus sudabitur si ludamus reticulo. H. Imò reticulum piscatoribus relinquamus. Elegantius est palma uti. N. Age nihil moror, sed quanti certabimus? H. Talitro, sic parce tur pecuniæ. N. At ego malo fronti parci quàm pecuniæ. H. Et mihi frons charior est pecunia. Aliquo periculo certandum est, alioqui friget ludus. N. Sic res habet ut dicis. H. Vtra pars prior euicerit tres lusus, ei uicta pendet, sextâ drachmæ partem. Sed hac lege ut quicquid è uictorijs collectũ fuerit, insumatur in cõuiuiũ, ad quod pariter uocetur oës. N. Placet lex, & rata esto. Superest igitur ut sortiamur partes. Nam sumus fermè pares omnes, ut non admodũ referat quis cui iungatur. H. Tu tamẽ me lōge peritior es. N. Ut sim, sed tu felicior. H. Etiam hic ualet fortuna? N. Illa nusquam non regnat. H. Age fiat sortitio. Euge bene accidit. Contigere quos uolebam. N. Et nos nostræ sodalitatĩ nõ pœnitet. H. Age simus uiri. Amat uictoria curam. Suum quisq; locũ gnauiter tueatur. Tu mihi consiste à tergo, excepturus pilam, si me transuolet. Tu isthic obserua, repulsurus, huc ab aduersarijs reuolantem. C. Ne musca quidem hac præteruolauerit impune. H. Agite bonis auibus, mittite pilam in tectum. Qui miserit, nihil præfatus, frustra miserit.

N. Hem



QVIORVM FORMVLAE. 27

N. Hem, accipe igitur. H. Mittito. Si miseris extra lineas, aut infra supraue tectum, uestro damno fuerit, aut certe nobis fraudi esse nolim. Tu sanè parum commode mittis. N. Tibi quidem, at nobis commode. H. Ut miseris, ita remittam. Par pari referam. Sed præstat ingenue legitimeq; ludere. N. In ludo pulchrum est arte uincere. H. Fateor, atq; etiam in bello. Sed habet utraq; res suas leges Et sunt artes illiberales. N. Credo plures septē. Signa terminum testula, aut rudere, aut si mauis pileo tuo. H. Tuo malim. N. rursus excipe pilam. H. Mitte. Pone notam. N. Habemus duos terminos satis longinquos. H. Vtcunq;, sed tamen uinabiles. N. Planè uincibiles, si nemo repugnet. H. Euge priorem metam prætercurrimus.

Vicimus quindecim. Heus præbete uos uiros, uiceramus, & hic, si tu tuo constitisses loco. Sumus igitur pares. N. Non diu futuri. Vicimus triginta, uicimus quadraginta quinq;. H. Sestertia? N. Nō. H. Quid igitur? N. Numeros. Quo pertinent numeri, si nihil est quod numeres? Noster hic ludus est. H. Præpropere tu quidem. Ante uictoriam canis triumphum. Vidi qui uincerent ab hoc numero, qui nihil habebant. Varia est ut Martis ita lusus alea. Habemus triginta. Iā rursus pares sumus. N. Nunc serio res agitur. H. Euge successit, habemus potiores non diu habituri. Dixin' ? Rursus

D 3 equali

FAMILIARIVM COLLOQVIVM

æquali fortuna sumus. N. Diu nutat fortuna, uelut anceps, utris uelit addicere uictoriam. O fors fortuna si nobis faueris, dabimus tibi maritum. Euge audiuit uotum. Penes nos est huius certaminis uictoria. Pone notam cretaceam, ne exadat. Iam appetit uespera, & sudatum est satis, præstat à ludèdo desistere, nequid nimis. Supputemus lucrum.

N. Nos euicimus tres drachmas, uos duas. Restat igitur una ad computatiunculam. Sed interim quis soluet precium pilarum? Omnes ex æquo pro sua quisq; portione. Nam lucrū exilius est, quàm ut inde possit aliquid decidi.

LVDVS GLOBORVM MIS

silium. Adolphus, Bernardus.

A. Tu toties apud me gloriatus es, te mirum quendam esse artificem in certamine mittendorum globorum. Age libet experiri, qui uir sies. B. Nihil de trecto, huc si quid libet. Nunc tu planè quod diu solet in planiciem prouocas equum. A. Et tu me senties non esse asinum. B. Placèt ne monomachia, ut unus cum uno congregiatur, an mauius adiungi socios periculi? A. Malo  $\mu\omicron\nu\omicron\mu\alpha\chi\epsilon\iota\upsilon$ : ne qua pars uictoria decidatur alteri. B. Istuc & ipse malo, ut laus in solidum sit mea. Hi spectatores erunt & arbitri. B. Recipio. Sed quod erit uictori brauium, aut uicto pœnas? A. Quid si uicto amputetur auricula?

ricula? B. Imò testium alter execetur potius. Non est magnificū certare pro pecunia. Tu Germanus es, ego Gallus. De ætate pro suæ uterq; gentis gloria. Si uicero, tu ter exclamabis: Floreat Gallia. Si uictus, quod absit, fuero, totidem uerbis celebrabo tuam Germaniam. A. Age placet conditio. B. Ad sit fortuna. Quando periclitantur hoc ludo, duæ maxime nationes. Sint æquales spheræ. A. Nosti saxiæ illud prominens haud procul à porta? B. Noui. A. Ea erit meta, & hæc linea. B. Esto, sed sint inquam pares globi. A. Minus discernas ouum ab ouo, aut ficum à ficu. Sed mea non refert, utrum malis elige. B. Mitte. A. Heus tu mihi non brachium, sed balistam habere uideris, ita torques globum. B. Satis momordisti labrum, satis rotasti brachium. Tandem mitte. O uires Herculeas, sed tamen uinco. A. Nisi sceleratus ille laterculus obstitisset, præuerteram te. B. Consiste in spheræ tuæ uestigio. A. Non utar dolo malo. Cupio uirtute, non fraude uincere, quandoquidem de gloria certamen est. Bene uertat. B. Ingens profecto iactus. A. Ne ride priusquam uiceris. Adhuc penè sumus pares. B. Nunc res agitur. Vter prior metam contigerit, is uicerit.

A. Vici. Canta. B. Sed definiendum erat, quoto ludo constaret uictoria. Nam primo nondum incaluerunt uires. A. Definiant arbitri. Arb. Ter-

D 4 tio.

FAMILIARIVM COLLOQVIVM

A. Quid ais? Agnoscis ne uictorem?  
 B. Tibi fortuna magis aspirauit, uiribus & arte non tibi cesserō. Sed quod arbitri pronunciauerint, id sequar. Arb. Germanus uicit: & hoc gloriosior est uictoria, quod talem artificem uicerit.  
 A. Nunc canta Galle. B. Sum raucus. A. Hoc Gallis nouum non est, sed tamen cocāssa. B. Floreat Germania ter. A. Imò ter hoc erat canendū.  
 B. Contraximus siticulā, eamus ad cōpotatiunculā. Ibi perficietur cantio. A. Non recuso, si ita uideatur arbitris. B. Ita commodius est. Melius canet Gallus colluto guttore.

LVDVS SPHAERAE PER ANVVLUM FERREUM. Gaspar, Erasmius.

G. Age, nos auspicabimur. Victo succedet Marcolphus. E. Sed quod erit uictori præmium?  
 G. Victus ex tempore faciet ac recitabit distichon in laudem uictoris. E. Accipio legem. G. Vis ne sortiamur, uter prior incipiat? E. Esto tu prior, si libet, ego malim esse Abbas. G. Hoc tua cōditio potior est, quod tibi nota est area. Versaris in tua harena. G. In hac exerātator sum, quā in libris. Tamen istud perquam exigui momenti est.  
 E. Aequū est, ut tantus artifex in hoc certamine mihi largiari non nihil. G. Imò istuc abs te peterem iustius, sed parū est honesta precaria uictoria. Is de mune

QVIORVM FORMVLAE. 29

mā uincit, qui suo Marte uincit. Ita sumus pares, ut  
 nō melius cōmissus fuerit olim cum Bitho Bachius.  
 E. Tua sphaera cōmodior est mea. G. Et tua uola  
 uincit meam. E. Ludito legitime absq; technis, ac  
 dolo malo. G. Dices tibi rem esse cum homine pro  
 bo. E. Sed prius audire cupio huius sphaeristerij ple  
 biscita. G. Quaternio ludum absoluit, qui hāc li  
 neā praterierit in damno est. Reliquos limites si trā  
 silias, sine fraude fiet. Qui globum suo loco moue  
 rit, perdit ius feriendi. E. Intellego. G. En, oc  
 clusit tibi portam. E. Sed isthinc te excutiam,  
 G. Id si feceris, reddam tibi huius certaminis palmam.  
 E. Bona fide? G. Optima. Non enim potes alia  
 uia, nisi sic mittas sphaeram tuam in parietem, ut resi  
 liat in meam. E. Id experiar. Quid ais bone uir?  
 Nonne depulsus es? G. fateor, utinam tā sapiens  
 esses, quā es felix. Sed istuc censies tentanti, uix se  
 mel successerit. E. Imō si quid audes deponere pi  
 gnoris, nisi tertio quoq; experimento successerit, uin  
 ces. Sed interim redde pactū prēmii. G. Quod  
 nam? E. Distichon. G. Reddam. E. Et qui  
 dem ex tempore. Quid arrodis unguem? G. Ha  
 beo. E. Recita clare. G. Clarissime. Plaudite  
 uictori iuuenes hic quotquot adestis. Nam me qui  
 uicit doctior est nebulo. Nonne distichon habes?  
 E. Habeo, sed quale abs te allatum est, tale tibi re  
 feretur.

D S Saltus

FAMILIARIVM COLLO  
SALTVS. PERSONAE, VIN  
CENTIVS. LAURENTIVS.

V. Libet ne decertare saltu? L. Ludus iste non  
conuenit pransis. V. Quam ob rem? L. Quia  
uentris saburra grauat corpus. V. Non admodum  
sanè qui pransi sint in paedagogio. Nam ij plerunq;  
cœnaturiunt, priusquam absoluerint prandium.

L. Quod igitur salendi genus placet? V. Au-  
spicemur ab eo quod est simplicissimū. A saltu locust  
starum, siue mauis ranarum. Vtraq; tibia, sed iun-  
ctis pedibus. Qui longissime promouerit cingulum,  
coronam feret. Huius ubi erit satietas, aliud atque  
aliud genus experiemur. L. E quidem nullum reas-  
sabo genus, nisi quod geritur cum periculo tibiarum.

Nolim mihi rem esse cum chirurgis. V. Quid si  
certemus unica tibia. L. Iste ludus est empusa.  
Valeat. V. Hastæ innixum salire cum primis est  
elegans. L. Liberalius est certare cursu. Siquidē  
hoc certaminis genus apud Vergilium proposuit et  
Aeneas. V. Verum sed idem proposuit & cestuū  
certamen, quo non delector. L. Designa stadium  
Hoc loco sit carcer. Quercus ista sit meta. V. Sed  
utinam adesset Aeneas, qui proponat & præmia uic-  
tori. L. Victori abunde magnum præmium est  
gloria. V. Victo potius dandum erat præmium,  
solatij gratia. L. Sit igitur uicto præmium, ut lap-

QVIORVM FORMVLAE: 30

pa coronatus redeat in urbem. V. Equidem non recusatim, si tu praedas tibia canens. L. Est inges aestus. V. Nec mirum quum sit solstitium aestiuu. L. Praestiterat natate. V. Mihi non placet ranarum uita. Animal sum terrestrae, non amphibion. L. Sed tamen hoc exeratamenti genus olim cu primis habebatur liberale. V. Imo etia utile. L. Ad quid? V. Si fugiendum sit in bello, ibi potissimum ualent qui sese cursu pedum & natatu exercuerunt. L. Artem narras haudquaqua aspernandam. Neq enim minus laudis est aliquando bene fugere, quam fortiter pugnare. V. Sum plane rudis & imperitus natadi. Nec sine periculo uersamur in alieno elemento. L. Sed assuescere oportet. Nemo nascitur artifex. V. At ego istius generis artifices permultos audio nata se, sed non enata se. L. Experieris primum innixus suberi. V. Nec suberi fido magis quam pedibus. Si uobis cordi est natatio, spectator esse malo, quam certator.

CONFABVLATIO PIA.

Erasmius. Gaspar.

E. Vnde nobis prodis? e popina quapiam?

G. Bona uerba. E. E'sphaeristerio? G. Ne hoc quidem. E. Ex cenopolio? G. Nequaquam.

E. Quando non asequor diuinando, dic ipse.

G. Ex

FAMILIARIUM COLLO

G. Ex æde uirgini matri sacra. E. Quid illic tibi negocij est? G. Salutem dixi nonnullis. E. Quibus? G. Christo ac diuis aliquot. E. Religiosior tu quidem es quàm pro ætate. G. Imò nullam ætatem non decet religio. E. Si cupiam esse religiosus, patiar mihi iniici cucullam. G. Atq; ego idem facerem, si quantum calor adfert, tantundem pietatis adferret cuculla. E. Aiunt uulgo pueros angelicos, in satanã uerti ubi cõsenuerint. G. Sed ego prouerbiũ istuc ab authore satana natum arbitror. Imò uix existimo senem esse uere pium, nisi qui à teneris annis assueuerit. Nihil felicius discitur, quàm quod ab ipsa statim pueritia discitur. E. Quid igitur est religio? G. Est purus cultus numinis & obseruatio præceptorũ illius. E. Quæ sunt illa? G. Longũ est, sed ut in summa dicam, in rebus quatuor est sita. E. In quibus? G. Primum, ut recte pieq; sentiamus de deo, de scripturis diuinis: atq; ut illum non uereamur modo, ut dominum, uerum etiã amemus ex intimis affectibus, ut patrem beneficentissimũ. Secundum, ut summa cura tueamur innocentiam. Ea est, ne quem lædamus, Tertium, ut teneamus charitatem, hoc est, ut de omnibus quãtum datur, bene mereamur. Quartum, ut seruemus patientiam. Ea præstat ut mala nobis illata, si mederi nequeamus, patienter toleremus, non ulciscentes, nec malũ malo referentes. E. Næ tu probus esses conuersionator:



QVIORVM FORMVLAE. 31

cionator. Sed præstas ista quæ doces? G. Equidem  
adnitor pro mea uirili. E. Qui potes pro uirili  
quum sis puer? G. Meditor pro uiribus. Et quotidie  
mecum in eo rationem, si quid cessatum fuerit corrigo.  
Illud præter decorum: hoc dictum petulantius: hoc  
factum incircumspectius: hoc tacere præstiterat, illud  
omissum. E. Quando subducitur ista ratio? G.  
Fermè sub noctem, aut si quando magis uacat. E.  
Sed age dic mihi, quibus studijs totum transigis diem?  
G. Nihil celabo tam fidum sodalem. Mane simul  
atque sum expergefactus, id ferè fit ad sextam, aut  
quintam, pollice signum crucis pingo in fronte &  
in pectore. E. Quid deinde? G. Auspico initium  
diei in nomine patris, filij, & spūs sancti. E. Pie  
sanè. G. Mox paucis saluto Christum. E. Quid  
illi narras? G. Ago gratias, quod eam noctem mihi  
uoluerit esse prosperam: precorque ut diem itidem il-  
lum totum mihi bene fortunet, ad ipsius gloriã & ani-  
mæ meæ salutem. Utque is, qui est uera lux, occasum  
nesciens, sol æternus, omnia uiuificans, alens, exhi-  
larans dignetur illucescere menti meæ, ne usquam im-  
pingam in ullum peccatum, sed ipsius ductu perue-  
niam ad uitam æternam. E. Haud inauspicatum  
diei exordium. G. Deinde salutatis parētibus, qui-  
bus secundum deum primam debeo pietatem, cum tem-  
pus est, confero me ad ludum litterarium, sed ut per-  
templum, si comodum est, sit mihi transitus. E. Quid  
illic? G.

FAMILIARIVM COLLOQVIVM

Illic? G. Rursus tribus uerbis saluto Iesum, ac diuos  
 diuasq; omnes, sed nominatim uirginem matrem,  
 tum eos quos habeo mihi peculiare. E. Næ tu mi-  
 hi probe legisse uideris illud Catonis: Saluta libèter.  
 Non sat erat mane salutasse, nisi mox denuo saluta-  
 res? An non uereris, ne molestus sis immodico offi-  
 cio? G. Amat ille subinde appellari. E. Sed ine-  
 ptum uidetur alloqui quæ non uides. G. Nec eam  
 mei partem uideo qua illi loquor. E. Quæ? G. Ani-  
 mo. E. Sed ociosum est salutare non resalutantem.  
 G. Resalutat frequenter arcano afflatu. Deniq; a-  
 bunde resalutat, qui dat quod petitur. E. Quid hic  
 ab illo flagitas? Nam uideo tuas salutationes esse pe-  
 taces, cuiusmodi ferè sunt mendicorum. G. Sanè nõ  
 pcul aberras à scopo. Precor enim, ut qui puer duo-  
 decim annos natus, sedens in templo docēs ipsos do-  
 ctiores, cuiq; pater cœlitus emissa uoce dedit autho-  
 ritatē docendi mortalium genus, quum diceret: Hic  
 est filius meus dilectus, in quo mihi cõplacitum est,  
 ipsum audite: quiq; est æterna sapientia summi pa-  
 tris, illustrare dignetur ingenium meum ad perdiscen-  
 das honestas literas, quibus utar ad ipsius gloriam.  
 E. Quos autem habes diuos tibi peculiare? G. Ex  
 apostolis Paulum, ex martyribus Cyprianum, ex do-  
 ctoribus Hieronymum, è uirginibus Agnetem. E.  
 Quæ res istos tibi conciliauit? electio, an casus? G.  
 Sortito obuenerunt. E. Atq; istos nihil aliud, quàm  
 salutem

salutas? An ab eis quoq; mendicas aliquid? G. Precor ut me suis suffragijs Christo cōmendent, efficiantq; ut aliquādo contingat in illorum uenire cōtuberniū. E. Sanè rem non uulgarè petis. Quid tum postea? G. Ad ludum propero: & quod is locus postulat, toto ago pectore. Sic enim imploro Christi praesidium, quasi citra illius opem nihil efficiat nostrū studium: sic studeo, quasi ille nihil auxiliij sit laturus, nisi gnauius laborāti. Ac modis omnibus do operā, ne merito uapulem, ne quid dicto factōue, uel praepceptorem offendam, uel sodales meos. E. Probus es quum ista cogitas. G. Cum dimissus à ludo domum propero, rursus, si licet per ædem sacramiter facio. Rursusq; tribus uerbis saluto Iesum. Si quid est obsequij praestandum parentibus, obo. Quod si quid etiam superest temporis, mecum aut cum sodali repeto, quod praelectum est in schola. E. Næ tu perparcus es temporis. G. Nec mirum, si parcus sum rei, ut multo preciosissima ita irrecuperabilis. E. At Hesiodus docet in medio parcedum esse, in principio praeproperam, in fine seram esse parsimoniam. G. Recte Hesiodus de uino, sed ætatis nulla est intēpestiua parsimonia. Doliū si sinas nō exhauritur. At ætas nūq; nō defluit, siue dormias, siue uigiles. E. Fateor, sed quid deinde rei geritur? G. Adornata parētibus mensa, recito cōsecrationē, deinde prandentibus ministro, donec iubeor  
 & ipse

FAMILIARIVM COLLOQVIVM

Et ipse prandiū sumere. Actis gratijs, si quid uacat  
 lusu quopiam honesto laxo animum cum sodalibus,  
 donec hora reuocat in ludum à lusu. E. Ac rursus  
 salutatur Iesus? G. Salutatur, si commodum est.  
 Sin est, cur aut non uacet, aut nō sit tempestiuum,  
 tamen prateriens templum, cogitatiuncula saluto.  
 Rursus in ludo totis uiribus hoc agitur, quod locus  
 postulat. Domū reuersus, idem ago quod ante pran-  
 dium. A cœna suauibus fabulis memet oblecto, mox  
 prosperam noctem precatus parētibus ac familiæ,  
 mature me consero ad nidum. Illic flexis ante lectū  
 genibus, mecum, ut dixi, reputo, quibus studijs is di-  
 es peractus sit. Si quid est grauioris admissi, Chri-  
 sti clementiā imploro, ut ignoscat, polliceorque me-  
 liora. Si nihil est, ago gratias illius beneficentiæ,  
 quod me seruarit ab omni uitio. Deinde me totum  
 illi toto pectore cōmendo, cæterisq; diuis, ut me pro-  
 tegant ab insidijs mali genij, et ab obscœnis som-  
 nijs. His factis lectum ingressus, frontem ac pectus  
 signo crucis imagine, ac me compono ad somnum.  
 E. Quo pacto te componis? G. Nec pronus cubo,  
 nec supinus, sed primū lateri dextro innitens, Bra-  
 chijs ita transuersim complicatis, ut pectus muni-  
 ant figura crucis, dextra manu sinistro admota hu-  
 mero, leua dextro. Ita dormio suauiter, donec aut  
 expergiscar ipse, aut exciter. E. Sanctulus es, qui  
 ista possis. G. Imò stultulus es qui ista dicas. E.

Laudo

QUIORVM FORMVLAE. 33

Laudo institutum, si queam aſſequi. G. Velis tantummodo. Nam ubi aſſueueris pauculos meſes, erunt haec etiam ſuauiſſima, adeo uertentur in naturam. E. Sed nihil audio de ſacris.

G. Nec hac parte mihi de ſum diebus feſtis. E. In his quomodo te geris? G. Primum omnium exauctio meipſum num qua labe peccati ſit animus cōtaminatus. E. Id ſi cōperias, quid tum? ſubducis te ab altari? G. Nequaquam corpore, ſed animo me ſubmoueo, ac ueluti procul ſtans, nec audens attollere oculos ad patrem deum quem offendi, tūdo pectus meū, dicēs illud ex Euangelio cū publicano: Domine propitius eſto mihi peccatori. Deinde ſi ſenſero quempiam offenſum à me, eum curo placandū eſt ueſtigio ſi licet, ſin minus, ſtatuo in animo mihi quum primū licebit reconciliare proximum. Si quis offendit me, remitto uindictam, doq; operam, ut qui laeſit, agnoſcat errorē ſuū & reſipiat. Sin eius rei nulla ſpes eſt, uindictam omnem deo relinquo. E. Iſtuc durum eſt. G. An hoc durum, condonare leuem noxiā fratri tuo, cuius ignoſcentia tibi mutua ſit frequēter opus, cum Chriſtus omnia commiſſa noſtra nobis ſemel condonarit, & quotidie cōdonet? Imò mihi uideatur haec non eſſe liberalitas in proximū, ſed ſceneratio apud deum, perinde quaſi conſeruus ex pacto remittat conſeruo tres drachmas, ut ipſe dominus condonet talenta decem. E. Pulchre tu quidem philoſ

E ſophia

FAMILIARIVM COLLOQVIVM

pharis, si modo certum sit quod ais. G. An postulas aliquid certius Evangelica cautione? E. Non est equum. Sed sunt qui se non credant esse Christianos, nisi quotidie, missam, ut appellat, audierint. G. Horum institutum equidem non damno, praesertim in his qui abundant ocio, qui ut totos dies occupantur prophanis negocijs. Tantum illos non approbo, qui superstitiose sibi persuaserunt eum diem fore parum fastum, nisi fuerint eum auspiciati a missa. Et statim a sacro se conferunt, uel ad negotiationem, uel ad praedam, uel ad aulam: ubi si quod per fas nefasque gerunt, successerit, missae imputant. E. Sunt ne qui sic desipiunt? G. Magna pars hominum. E. Sed redi ad sacrum. G. Si licet, adsto uicinus altari sacro, quo percipere queam ea, quae sacrificus recitat, praesertim Epistolam et Euangelium. Ex his aliquid conor decerpere, quod infigam animo meo. Id mecum aliquandiu rumino. E. Nihil interim oras? G. Oro, sed cogitatione magis quam strepitu labiorum. Ex his, quae recitat sacerdos arripio precandi occasionem. E. Dic istud explanatius, nam non satis a se quor quid uelis. G. Dicam. Finge recitari epistolam: Expurgate uetus fermentum, ut sitis noua conspersio, sicut estis azymi, ad haec uerba sic mecum loquor Christo: Utinam uere sim azymus purus ab omni fermento maliciae. Sed tu domine Iesu, qui solus es ab omni malicia purus ac sincerus, largire, ut indies et ipse magis ac magis ex  
gis ex

QVIORVM FORMVLAE. 34

gis expurgē uetus fermentum. Rursum si forte legatur Euangelium de seminante semen suum, sic oro mecum: felix ille, qui meretur esse terra bona: precorque, ut me ex terra parum frugifera, sua benignitate faciat terram bonam, sine cuius beneficio nihil omnino bonum est. Sint hæc exēpli causa dicta. Nam singula persequi prolixum sit. Sed si contingat sacrificus mutus, quales multos habet Germania, aut non detur adesse propius altari, ferè libellum paro, in quo descriptum sit eius diei Euangelium & epistola, inde ipse aut pronunatio, aut oculis lego. E. Intelligo, sed quibus cogitationibus potissimum transmittis hoc tempus? G. Ago gratias Iesu Christo pro ineffabili charitate, & genus humanū sua morte redimere dignatus est, & oro ne patiatur suū sacrosanctū sanguinē pro me frustra fusum esse, sed suo corpore semp pascat animū meū, suo sanguine uiuificet spiritum meum, ut paulatim adolescens uirtutū auctibus, efficiar idoneum membrum corporis illius mystici, qd̄ est ecclesia, nec unquā deficiā ab illo sanctissimo foedere, quod in extrema coena distributo pane, & porrecto poculo pepigit cū discipulis suis electis, & per hos cum omnibus, qui per baptismum in societatem illius insiti sunt. Quod si senserō uagari cogitationem, lego Psalmos aliquot, aut aliud quippiam pium, quod animum ab euigando cohibeat. E. Habes in hoc psalmos certos? G. Habet.

E 2 beo: sed

FAMILIARIVM COLLOQVIVM

beo: sed quos non ita mihi ipsi indixi, quin omittā, si cogitatio quæpiam incidat, quæ magis reficiat animæ meum, quàm illa Psalmorū recitatio. E. Quid de ieiunando? G. Cum ieiunio mihi nihil est negocij. Sic enim me docuit Hieronymus, non esse valetudinem atterendam ieiunijs, donec corpus ætate robur iustum collegerit. Nondum autem egressus sum annum decimumseptimū. Sed tamē si sensero opus, prandeo cœnōque parcius, quo me præbeam alacriorem studijs pietatis per diem festum. E. Posteaquam cœpi semel, expiscabor omnia. Quomodo affectus es erga conciones? G. Optime. Ad has nō minus religiose accedo, quàm ad sacram synaxim. Et tamen deligo quos audiam. Sunt enim quos præstat non audisse. Quod si talis contingit, aut si nemo contingit, tempus hoc transigo sacra lectione, lego Euangeliū & epistolam cum interpretatione Chrysostomi, aut Hieronymi, aut si quis alius occurrit pius ac doctus interpres. E. Sed magis efficit uilua uox. G. Fateor, & audire malo, si detur concionator tolerabilis, sed nō uideor omnino caruisse concione, si Chrysostomum aut Hieronymum scripto loquentem audiero. E. Non opinor. Sed quid te delectat confessio? G. Magnopere. Nam confiteor quotidie. E. Quotidie? G. Sic est. E. Alienus est igitur tibi proprius sacerdos. G. Sed illi cōfiteor, qui solus remittit peccata; cui est potestas uniuersa



uersa. E. Cui nam? G. Christo. E. An istud  
 sat esse putes? G. Mihi sat esset, si sat esset proce/  
 ribus ecclesiae, & consuetudini receptae. E. Sed  
 quos tandem appellas ecclesiae proceres? G. Ponti/  
 fices, episcopos, apostolos. E. Et inter hos annu=  
 meras Christum? G. Is est omnium sine cōtrouer/  
 sia colophon. E. Et huius receptae confessionis au/  
 thor? G. Is quidē author est omnis boni, sed an ipse  
 instituerit hanc cōfessionem, Theologis excutiendū  
 relinquo. Mihi puero & idiota sufficit maiorum au/  
 thoritas. Hæc est certe præcipua confessio. Nec est fa/  
 cile confiteri Christo. Non confitetur illi, nisi qui ex  
 animo irascitur suo peccato. Apud illum expono de/  
 ploroq; si quid admisi grauius, clamo, lacrymo, plo/  
 ro, me ipsum execror, illius imploro misericordiam:  
 nec finem facio, donec sensero peccandi affectū peni/  
 tus expurgatum è medullis animi, & succedere trā/  
 quillitatem aliquam & alacritatem, condonati crimi/  
 nis argumentum. Atq; ubi tempus inuitat, ut ad eam  
 sacrosanctam mensam corporis & sanguinis domi/  
 nici, confiteor & sacerdoti, sed paucis, et nō nisi ea,  
 quæ certo uidetur crimina, aut eiusmodi, ut uehemēs  
 suspicio sit crimen esse. Neq; uero protinus arbitror  
 esse piaculum quod admittitur aduersus constitutio/  
 nes humanas, nisi contemptus accesserit maliciosus.  
 Imò uix arbitror crimen capitale, cui nō sit adiuncta  
 malicia, hoc est, peruersa uolūtas. E. Laudo quod  
 E 3 sic es

## FAMILIARIUM COLLO

Sic es religiosus, ut tamen superstitiosus non sis. Hic quoque puto locum esse prouerbio: Nec omnia, nec passim, nec quibus libet. G. Deligo mihi sacerdotem, cui credam arcana pectoris. E. Istuc est sapere. Sunt enim permulti, quod compertum est, qui quod accipiunt in confessionibus, effutiunt. Sunt improbi quidam & imprudentes, qui percontantur à confitente, quæ præstiterat tacuisse. Sunt indocti & stolidi, qui ob sordidum quæstum præbent aurem uerius quam animum, quum nec dijudicent inter noxiã & recte factum, nec docere possint, nec cõsolari, nec consulere. E. Hæc sic habere frequenter audiui ex multis, & ipse partim expertus sum. G. Et ego nimium. Proinde deligo mihi uirum non indotum, grauem, spectatæ integritatis, linguæ continētis. E. Profecto felix es, qui ista mature sapere cœperis. G. Denique illa mihi prima curarum est, ne quid committam, quod cum periculo credam sacerdoti. E. Nihil melius, si quidem possis cauere. G. Nobis quidem difficilimum est, sed auxiliante Christo facile est. Primum est, ut adsit bona uoluntas. Eam mihi subinde renouo, præsertim diebus dominicis. Deinde subduco me ipsum pro uiribus ab improborum consortio, & sodalibus integerrimis me adiungo, quorum conuictu fiam melior. E. Recte tibi consulis. Corrumpunt enim mores bonos colloquia praua. G. Ocium ceu pestem quan-  
dane

QVIORVM FORMVLAE. 36

dam fugio. E. Nec mirum, nam nihil malorum non docet odium. Sed ut nunc sunt hominum mores, solus uiuat oportet, qui uelit abesse à malorum consortio. G. Non omnino uanum est quod dicis. Plures enim mali, ut Græcus ille sapiens dixit. Sed ex paucis optimos deligo. Et probus sodalis, non nunquam sodalem reddit milioem. Vito lusus, qui prouocant ad nequiciam, ut innoxij. Comem me præbeo omnibus. Sed familiarem nõ nisi bonis. Quod si quando incidero in malos, aut corrigo blande monendo, aut dißimulo toleroque, si uideor non profecturus, certe quum primum licet memet ab illis suffuror. E. Nunquam ne titillauit animum tuum libido capiunde aualla? G. Nunquam, sed crebro sollicitatus sum à quibusdam ab hoc seculo uelut à naufragio, ad portum monasteriorum uocantium. E. Quid ego audio? Captabant prædam? G. Miris technis adorti sunt & me & parètes. Sed mihi stat sententia, non addicere me uel matrimonio, uel sacerdotio, uel instituto monachali, aut ulli uitæ generi, unde post me non queam extricare, priusquam mihi fuero pulchre notus. E. Quando istuc erit? G. Fortasse nunquam. Sed ante annum uigesimum octauum nihil statuetur. E. Cur ita? G. Quia audio passim tam multos sacerdotes, monachos, & maritos deplorantes, qd' sese temere præcipitarint in seruitutem. E. Cautus es, qui capi

E 4 nolis.

FAMILIARIVM COLLO/

nolis. G. Interim tria mihi curæ sunt. E. Quæ  
nam ista? G. Vt proficiam in probitate morum.  
Dein si id nequeam, certe tuear illibatam innocentiam  
ac famam. Postremo paro mihi bonas literas ac disci-  
plinas, in quouis vitæ genere futuras usui. E. Sed  
interim à poetis abstines. G. Nō in totum. Sed cæ-  
stissimos quosq; potissimum lego. Quod si quid in-  
derit parum uerecundum, prætercurro, quemadmo-  
dum Vlysses obturatis auribus Sirenas præternauigauit.  
E. Sed cui interim studiorum generi te po-  
tissimum addicis? mediæ, iuri Cæsareo aut pontifi-  
cio, an Theologiæ? Nam linguæ, bonæ literæ, phi-  
losophia pariter conducunt ad omnem professionem.  
G. Nondum ulli me planè addixi, sed ex omnibus  
gustum aliquem capio, ne cuiusquam planè sim rudi-  
dis, utq; degustatis singulis, certius eligam, cui sim  
accommodus. Medicina ubiuis terrarum certissimè  
uiaticum est. Iuris prudentia uiam aperit ad dignita-  
tes. Theologia mihi cum primis placeret, nisi me mo-  
res quorundam, & morosæ inter ipsos contentiones  
offenderent. E. Non facile labitur, qui sic pedeten-  
tim incedit. Complures abstinent à Theologia, quod  
uereantur ne uadent in fide catholica, quū uideant  
nihil non uocari in questionem. G. Ego quod le-  
go in sacris litteris, & in symbolo, quod dicitur apo-  
stolorum, summa fiducia credo, nec ultra scrutor. Cæ-  
tera permitto theologis disputanda, ac definienda si  
uelint.

QUIORVM FORMVLAE. 37

velint. Si quid tamen receptum est usu populi Christiani, quod non planè pugnet cum sacris literis, ha-  
 stenus seruo, ne cuiquam sim offendiculo. E. Quis  
 Thales te docuit istam philosophiam? G. Fuit  
 mihi admodum puero consuetudo domestica cum in-  
 tegerrimo uiro Ioanne Colecto. Nostin' hominem?  
 E. Quid ni? Tanquam te. G. Is eam ætatem hu-  
 iusmodi præceptiunculis imbuit. E. Non inuide-  
 bis, si me præbeam æmulum instituti tui? G. Imò  
 istoc nomine mihi futurus es multo charior. Sās e-  
 nim similitudine morū cōglutinari familiaritatem ac  
 beneuolentiam. E. Verum, sed non inter competi-  
 tores eiusdem magistratus, quum simili laborēt mor-  
 bo. G. Nec inter eiusdem sponsæ procos, quum  
 pariter laborent amore. E. Sed extra iocum expe-  
 riar imitari rationem istam. G. Precor ut tibi uer-  
 tat quàm optime. E. Fortassis aßequar te.  
 G. Utinam & præcurras. Sed interim non opperi-  
 ar te. Quin ipse quotidie meipsum superare contēdo.  
 Sed tamen adnitere si potes, ut anteuertas.

VENATIO. PAVLVS, THO-  
 mas, Vincentius, Laurentius, Bartholus.

P. Trahit sua quenq; uoluptas. Mihi placet uenatio.  
 Tho. Placet et mihi, sed ubi canes, ubi uenabula, ubi  
 casses? P. Valeant apri, ursi, cerui, & uulpes, nos  
 insidiabimur cuniculis. V. At ego laqueos iniiciā  
 locustis. Insidiabor gryllis. L. Ego ranas captabo.

E S B. Ego

FAMILIARIVM COLLOQVIVM

B. Ego papiliones uenabor. L. Difficile est sectari uoluntia. B. Difficile, sed pulchrum, nisi pulchrius esse ducis sectari lumbricos aut cochleas, quae carent alis. L. Equidem malo insidiari piscibus. Est mihi hamus elegans. B. Sed unde parabis escam? L. Lumbricorum ubique magna est copia. B. Est si tibi uelint prorepere e terra. L. At ego mox efficiam, ut multae myriades persilient. B. Quo pacto? incantamētis? L. Videbis artem. Imple hanc situlam aqua. Hos iuglandium summos cortices uirentes confractos immittito. Hac aqua perfunde solū. Nunc observa paulisper. Vides emergentes? B. Rem prodigiosam uideo. Sic olim, opinor, exiliebant armati, ex satis serpentis dentibus. Sed plerique pisces, delicatioris & elegantioris sunt palati, quam ut esca tam uulgari capiantur. L. Noui quoddam insecti genus, quo talibus insidiari soleo. B. Tu uide, an possis imponere piscibus, ego ranis facessam negocium. L. Quo modo, reti? B. Non, sed arcu. L. Nouum piscandi genus. B. At non iniucundum. Videbis & fateberis. V. Quid si nos duo micemus digitis? P. Ignauum est ac rusticum lusus genus. Ad focum desidentibus magis conuenit, quam in campo uersantibus. V. Quid si certemus nucibus? P. Noces admodum pueris relinquamus. Nos grandiusculi sumus. V. Et tamen nihil aliud adhuc, quam in pueri sumus. P. Sed quibus decorum est ludere nucibus, iisdem non indecorum est equis

QUIORVM FORMVLAE. 38

equitare in arūdine longa. V. Tu igitur præscribi  
to lusus genus. Sequar quocunq; uocaris. P. Et ego  
futurus sum omnium horarum homo.

EVNTES IN LVDVM. SYL/  
uius, Ioannes.

Sylvius. Cur adeo curris Ioannes? Io. Cur lepus,  
ut aiunt, pro carnibus? S. Quid hoc prouerbij  
est? Io. Quia nisi adfuero in tempore, ante rea-  
tatum catalogum, actum est de pelle mea. S. Hæc  
quidem ex parte nihil est periculi. Modo præterita  
est quinta. Inspice horologiū, manus nondum attigit  
punctum, quod horam ab hora æquis spatijs dirimit.  
Io. At ego uix habeo fidem horologijs. Mentiuntur  
nonnunquam. S. At mihi fide, qui campanæ uo-  
cem audiui. Io. Quid loquebatur? S. Horam esse  
quintam. Io. Sed est & aliud, unde magis etiā ti-  
meam. Reddenda est memoriter hesternæ lectio, satis  
prolixa. Vereor ut possim. S. Cōmune piculū nar-  
ras. Nam & ipse uix satis teneo. Io. Et nosti præ-  
ptoris sæuidiam. Omnis illi noxia capitalis est. Nec  
magis parcit nostris natibus, quàm si corium esset  
bubulum. S. Verum is non aderit in ludo. Io.  
Quem igitur uicarium constituit? S. Cornelium.  
Ioan. Strabum illum? Væ nostris natibus. Is uel  
Orbilio plagosior est. S. Verum dicis, & ideo  
non raro sum illius brachio precatuſ paralyſim.

Io. Non

FAMILIARIVM COLLOQVIA

Io. Non est piū in precari praeceptorī. Nobis potius cauendum ne incidamus in illius Tyranni manus. S. Reddamus inter nos uicissim, altero recitante, altero codicem inspiciente. Io. Pulchre mones. S. Fac presenti sis animo. Nam metus officit memoriae. Ioan. Facile deponerem pauorem, si non adesset periculū. At in tanto discrimine quis posset esse securus animo? S. Fateor. At tamen nō agitur de capite, sed de parte diuersa.

ALIA. CORNELIVS.

ANDREAS.

C. Scite tu quidem pingis, sed charta tua perfluit. Charta subhumida est, ac transmittit atramentum. A. Quæso ut appares mihi pennā hanc. C. Deest mihi gladiolus scriptorius. A. En tibi. C. Hui quā obtusus. A. Accipe coticulam. C. Vtrum amas scribere cuspide duriuscula an molliore? A. Attempera ad manum tuam. C. Ego molliore soleo. A. Quæso ut mihi describas ordine figuras elementorum. C. Græcas an Latinas? A. Latinas primum. Conabor imitari. C. Suppedita chartam. A. Accipe. C. Sed meum atramentum dilutius est, subinde infusa aqua. A. At meum linteolum prorsus exaruit. C. Imminge, nisi mauis immeiere. A. Imò potius rogabo alicunde. C. Præstat habere domi, quā rogare commodato. A. Quid est scholasticus absq; calamo & atramento?  
C. Quod



QVIORVM FORMVLAE. 39

C. Quod miles absq; clypeo & gladio. A. Vti  
nam mihi essent articuli tam celeres. Equidem nō  
possum dictantis uocem scribendo assequi. C. Pri  
ma cura sit ut bene scribas, proxima, ut celeriter:  
sat cito, si sat bene. A. Belle, sed istam cantionem  
cane præceptor, quum dictat: Sat cito, si sat bene.

AGENDI GRATIAS FOR.

Petrus. Gratum mihi fecisti, quod aliquoties ad  
me scripseris. Habeo gratiam, quod ad me crebrius  
scripsisti. Amo te, quod interdum ad me literas da  
re non dedignatus es. Habeo gratiam, quod crebris  
literis me uiseris. Ago tibi gratias, qui literarum  
fasciculis nos oneraris. Maxima tibi à me habetur  
gratia, qui nos aliquando literis laceffiueris. Per  
gratum mihi fecisti, quod nos dignatus sis tuis lite  
ris. Debeo tibi pro tuis humanissimis ad me lite  
ris. Magni beneficij loco duco, quod non es graua  
tus ad me scribere.

RESPONSIO,

Christianus. Imò meum est deprecari culpam impie  
dentiae, qui non ueritus sim tibi homini, tum occu  
patissimo, tum doctissimo, meis illiteratis literis  
obstrepere. Agnosco solitam tuam humanitatem,  
qui meam audaciam boni consulueris. Verebar ne  
quid offendissent te meæ literæ, quod nihil omnino  
responderes.

FAMILIARIVM COLLOQVIVM

responderes. Non est quod agas gratias, mihi plus satis est, si scdulitatem meam accepisti in bonam partem.

NOVA ROGANDI, FOR.

P. Nihil' ne nouarum rerum adfertur è patria? Nū qd noui de nostratibus accepisti? Quid noui? Ecquid nouarum rerum apportas? Num quid noui fertur? Num quæ res nouæ è patria nūciantur?

RESPONSIO.

CH. Noui quidem permultum, at nihil ueri. Nouarum quidem rerum satis, at nihil comperti. Noua permulta, at explorati nihil. Non parum noui, at ueri non multum. Nihil affertur noui. Nouarum rerum nihil prorsus accepi. Certi nihil, noui non nihil. Rumores afferuntur permulti, sed dubij. Plurima est fama, at rerum nihil, firmi nihil. Si uana te capiunt, adfero tota plaustra mendaciorum. Fabularum totos modios apporto. Tantum mendaciorum adfero, quantum uix una nauis uehat. Pe. Exonera te quamprimū, ne succumbas tanto oneri. Ch. Nihil habeo præter ea quæ iactantur in tonstrinis, in uehiculis, & in nauibus.

AN ACCEPISTI LITERAS? FOR.

P. Nihil ne literarum accepisti? Num aliquas è patria recepisti literas? Nullæ tibi sunt redditæ literæ? Num quid scriptorum accepisti? Num quas accepisti

QVIORVM FORMVLAE. 40

Epistolas? Ecquas ab amiculis accepisti literas? Nihil epistolarum aduolauit è Gallia?

RESPONSIO.

CH. Literarum nihil accepi. Ne pilum quidem literarum accepi. Ne tantulum quidem adfertur literarum. Nemo literam ad me. Ne uerbum quidem à quoquam redditur. Tantum literarum accepi iam diu, quantum uides in oculo meo. Equidem pecunias quàm literas malim. Argentum accipere malim quàm epistolas. Nummos recipere malim quam epistolia. Nihil moror literas, modo ueniat argentum. Equidem numerari malo mihi quàm scribi.

CREDO, FOR.

P. Facile credo. Haud difficile creditu est. Credi istud perfacile potest. Istud tibi quis non credat? Admodum incredulus fuerit, qui hoc tibi non credat. Profecto habeo tibi fidem. Istius rei mihi facile fidem facis. Credo tibi uel iniurato. Verisimile dicis. Adferunt tamen nonnihil solatij literæ. At ego alterutrum malim quàm neutrum.

UTILITATIS FOR.

CH. Quorsum spectant literæ sine pecuniis? Ad quid tandem inanes conducunt literæ?

Quorsum

## FAMILIARIVM COLLOQVIVM

Quorsum ualent, ad quid conferunt, faciunt, proficiunt, literæ uacuae? Cui gratæ, cui acceptæ literæ sine nummis? Quid emolumentum adferunt literæ inanes? Cui bono sunt ociosæ literæ? Quid iuuant, cui sunt usui? Ad quid conducibiles sunt? Quid secum adferunt momenti? Cui rei sunt utiles inanes epistolæ?

### RESPONSIO.

P. Podici tergendo utiles, idoneæ, accommodæ. Conducunt natibus tergendis. Si usum nescis earum, ad anum expurgandum ualent. Ad nates tergendas. Ad posticum purgandum. Conferunt ad eam corporis partem mundandam, quæ semet itentidem inquinat. Valent conuestiendis scombris. Inuoluen-do thuri sunt accommodæ. P. Quid? ualent ne amiculi? quid uxor agit tua? Ch. Recte, eam apud matrem reliqui, & quidem prægnantem.

### BENE PRECANDI FOR.

P. Bene & tibi & illi uertat, tibi quod pater, illi quod mater futura sit. Adsit deus. Ut utriq; uestrum faustum felixq; sit precor, optoq;. Quo es, oro superos omnes, ut incolumis prolem uobis dignâ pariat, & pulchra faciat te prole parente. Laudo te, quod uirum te præstiteris. Gaudeo te uirum præstitisse. Gallum te esse declarasti, at non Cybeles.  
Abi, uirum

QUIORVM FORMVLAE. 41

Abi, uirum te iudico. Ch. Ludis idq; facis tuo more. Age age, est tibi ius apud me loquendi quælibet. Audio te patriam nuper reuississe. P. Sic est factum. Nam diutiuscule iam abfueram, non ferebam tantum diuturnum patriæ desiderium. Non poteram à parentum cõspectu abesse diutius. Torquebat me diutinum amicorũ desiderium. Ch. Pie fecisti tu quæ ista cogites. Ducimur enim omnes admirabili quodam amore eius regionis quæ nos aluit atq; edidit. Et nescio qua natale solum dulcedine cunctos ducit, & immemores nõ sinit esse sui. Dic quæso quonam in loco illic offendisti omnia.

NOVA OMNIA, FORMULA.

P. Nihil non nouum. Mutata omnia. Nouata singula. Vniuersa noua. Vide quàm repente tempus res mutet humanas. Videbar mihi in alium uenire mundum. Vix dum decennium abfueram, & non secus omnia admirabar, quàm Epimenides somniantorũ princeps, uix tandẽ expergefactus. Ch. Quænam ista est fabula? Quid isthuc est fabulæ? P. Dicam equidem si uacat. Ch. Nihil fuerit iucundius. P. Sellam igitur unã cum puluino mihi poni iube. Ch. Recte admones, nam sedens commodius mentieris. P. Fabulantur historici de Epimenide quodam Cretensi, qui deambulandi gratia solus urbem egressus, quum subita pluuiæ ui cõpulsus in quandã speluncã

## FAMILIARIVM COLLOQ

speluncam ingressus obdormisset, quadraginta septē  
perpetuos annos somnum continuerit.

### NON CREDO FOR.

Ch. Quid narras? Incredibile dictu. Non uerisi-  
mile dicis. Somnium mihi narras. Non fit mihi si-  
mile ueri. Monstri simile narras. Non pudet tam  
improbæ uanitatis? Digna fabula, quæ addatur ue-  
ris narrationibus Luciani. P. Imò rem narro à  
grauissimis proditā authoribus. Nisi forte tibi pa-  
rum spectatæ fidei est Aulus Gellius. Ch. Mihi ue-  
ro quæ scribit ille, folia Sybillæ sunt omnia.

P. Quid tandem theologum tot annos somniasse  
reris? Nam theologum fuisse proditum est. Ch. Au-  
dire gestio.

### RESPONSIO.

P. Quid aliud quàm quæ postea prodidit Scotus, et  
huius farinae sodales? Sed bene cum Epimenide actū  
est, qui uel tandem ad se redierit. Multi theologi nū-  
quam expergiscuntur à suis somnijs. Ch. Age, fa-  
cis ut poëta dignum est. Sed perge mentiri. P. Epi-  
menides igitur somno solutus, è spelunca prodit,  
circunspicit, mutata uidet omnia, syluas, ripas, flu-  
mina, arbores, agros, breuiter nihil non nouum.  
Accedit ad urbem, percontatur, manet illic aliquan-  
diu, neque nouit quenquam, neq; à quopiam agni-  
tus est. Alius hominū cultus, nec idem uultus, muta-  
tus sermo, diuersi mores. Nec miror hoc Epimenidi  
post

QUIORVM FORMVLAE. 42

post tantum annorū euenisse, cum mihi idem prope modum euenerit, qui pauculos annos abfuissem.

C. Quid uterq; parens, uiuunt ne? P. Viuunt ambo, et ualent utcunq;, senio, morbo, curis, deniq; beliorum calamitate cōfecti. Ch. Hæc est humanæ uitæ comœdia. Hæc est fatorum lex inuitabilis. P.

Cœnabis hodie domi? Ch. Foris cœnaturus sum. Foris cœnandū est mihi. P. Apud quem? Ch. Apud socerum meum, apud generum meum, apud nurrum meam, apud affinem meum.

¶ Affines dicuntur qui non sanguinis, sed matrimonij coniunctione copulati sunt. P. Quæ sunt igitur usitata uocabula affinitatum?

NOMINA AFFINITATVM.

Ch. Maritus & uxor nota sunt nomina.

Socer uxoris meæ pater est mihi.

Gener filia meæ maritus.

Socrus uxoris meæ mater.

Nurus filij mei uxor.

Leuir mariti frater. Leuir dicitur ab uxore, ut Helena Hectorem leuirū uocat, quod esset nupta Paridi.

Fratria fratris mei uxor.

Glos mariti soror.

Vitricus matris meæ maritus.

Nouerca patris mei uxor.

Pruiignus uxoris aut mariti filius.

## FAMILIARIVM COLLOQVIVM

Privigna      filia alterutrius.  
Rivalis      qui amat eandem.  
Pellex      quæ amat eundem. Vt Thrasorivialis est Phedriæ. Et Europe pellex est Iunoni.

### CRAS PRANDEAS, FOR.

P. Ago gratias. Laudo te. In crastinum igitur te ad coenam uoco. Cras ergo ut mecum coenes oro. Cras igitur mecum prandeas rogo. Cras igitur te mihi conuiuam uolo.

### TIMEO NE NON POSSIM.

Ch. At uereor ne non licuerit. Vt possim metuo. Veniam si quidem licebit. At metuo ne nõ queam.

### QVARE.

P. Cur non licebit? Qui sic? Quid ita? Quam ob rem? Quo pacto? Quid causæ? Quid obstiterit quo minus possis?

### DOMI ME ESSE OPORTET.

Ch. Tum quidem mihi domi manendum est. Vt domi nocte sim necesse est. Tum certe foris esse nõ licebit. Cras mihi quoquam ire foras, liberum nõ erit. A prandio abesse mihi integrum non erit. Aliquot ipse conuiuas eodie opperior. Aliquot amicali constituere ea nocte domi nostræ coenare. Ipsi mihi conuiuæ sunt ea nocte tractandi, alioqui lubens uenire. Ni id esset, haud grauatim facerem. Quod ni esset, haud me tibi difficilem præberem. Non excusarem si liceret. Non paterer bis rogari, si queam. Parce rogare.



QVIORVM FORMVLAE. 43

gare. Vel inuocatus adessem, si quo pacto liceret.  
Haud grauate tibi obsequerer, si possim. Frustra ro-  
gas eum, cui nō est liberum, frustra item rogaturus,  
si liberum esset. Nunc ut maxime cupiam non pos-  
sum. Tunc superuacaneum esset rogare uolentem.

P. Vel perendie apud me sis oportet. Saltem per-  
rendino die ad cœnā uenias necesse est. Quarto ab  
hinc die non grauaberis mihi præbere conuiuā. Die  
Iouis proximo, non potes effugere quin uenias.

NON POSSVM PROMITTERE.

Ch. Non possum polliceri. Affirmare istud tibi non  
possum. Promittere certo nequeo. Veniā ubi utriq;  
nostrum uidebitur commodissimum.

DIEM DICERE DEBES.

P. Diem igitur mihi constituas uolo, ad quem mecū  
sis cœnaturus. Diem igitur assignes oportet. Diem  
igitur promittas, necesse est. Diem certū mihi præsi-  
niri, præscribi, præstitui, constitui cupio. Ad certum  
diem condicito. Diem mihi dicas uelim.

NOLO TE PRAESCIRE.

Ch. Equidem non soleo dicere diem amicis. Præ-  
säum te esse nolim. Præscire te nolo. De improui-  
so te opprimam. Inopinato te opprimam. Te nec  
opinantem oppressero. Te nihil suspicantem op-  
pressurus sum. Non expectatus adfuero. Adoriar  
te nec opinantem. Veniam ultroncus & insperat-  
us conuiua.

FAMILIARIVM COLLOQVIVM

PRAESCIRE VOLO.

**P.** Biduum praescire uolo. Biduum praescius esse accipio. Praemoneto biduo priusquam uenias. Fac me biduo ante certiore. **Ch.** Si me urges, dico tibi diem Sybariticum, ne desit apparandi spatium. **P.** Quid hoc uerbi est? **Ch.** Sybaritae conuiuias inuitabant in annum proximū, ut utrinque esset iustus apparatus. **P.** Valeant Sybarytae cum suis molestis conuiuijs. Ego congerronem uoco, non Satrapam.

TVO MALO OPTAS.

**Ch.** Equidem tuo detrimento. Tu opte quidem malo. In damnum tuum istud optas. Incommodo istud precaris tuo. **P.** Quid ita? Quam ob rem?

**Ch.** Ego instructus accedam. Ego munitus ueniā. Aggrediar te paratus. Instructus multa fame accedam, tu uide ut uulturem expleueris. Parabo uentrem, ac dentes exacuā, tu uide quibus modis lupum exatures. **P.** Age ad hoc certamen te prouoco. Age fac pro uiribus, pro uirili, si quid potes maxime.

**Ch.** Veniam, sed non in comitatus. **P.** Tanto uenies gratior. Sed quo comite uenies? **Ch.** Umbra. **P.** Nec secus possis, si modo luce uenias. **Ch.** Sed umbram adducturus sum dentatam unam atque alteram, ne tu me uocaris impune. **P.** Age, ut libet, modo ne laruas adducas. Sed explana si libet, quid sibi uelit umbræ uocabulū. **Ch.** Apud eruditos umbræ uocantur, qui ipsi non uocati comitantur eū qui

uocantur.

QUIORVM FORMVLAE. 44

uocatus est ad conuiuium. P. Talium umbrarum adduc quantum uoles.

EA LEGE PROMITTO.

Ch. Veniam quidem, at hac lege, ut tu postridie eius diei uicissim apud me coenes. Faciam eo quidem pacto, ut tu deinde mihi quoque sis conuiua. Ea lege coenam condico, ut tu rursum mihi sis conuiua. Spondeo futurum, sed hac exceptione, si tu postero die itidem apud me sis. Recipio tibi facturum me. Do fidem futurum his quidem legibus, ut tu mecum postridie prandeas. P. Age fiat. Esto. Sit ita ut uis. Si iubes faciam. Noui Gallorum magnificentiam. Non uis gratis apud me coenare, nisi uices retuleris. At isto quidem pacto redire solent in orbem conuiuia. Sic nascitur conuiuiorum longa periodus. Hac uicissitudine fiunt sine fine reciproca conuiuia. Ch. Nihil suauius, si minimum accedat apparatusi quotidiano. Ceterum ego te detineo, alio fortassis itinerum. P. Imo ego te opinor. Sed cras latius et familiarius confabulabimur. Verum crastino die plura nugabimur. Interim fac ualeas. Interim cura, ut bene ualeas. Interim ualebis.

QVO IS? FOR.

Ch. Quo tu nunc abis? Quo tu nunc properas? Quo tu tam celeri gradu tendis? Quonam te confers? Quo nunc iter est?

F 4 Eo do

FAMILIARIVM COLLO-

EO DOMVM FOR.

P. Domum me recipio. Domum reuertor. Domum  
 repeto. Domum me confero. Viso quid domi agat  
 tur. Accerso medicum. Rus hinc concedo. Constitui  
 ad hanc horam cum uiro quodam grauissimo collo  
 qui. Statui hac hora uerba facere cum uiro grauissi  
 mo. Ch. Quonam? P. Cū Curione multiloquo.  
 Ch. Precor igitur tibi presentem Mercurium.  
 P. Quid opus Mercurio fauente? Ch. Quia res  
 erit cum linguaci. P. Atqui hac gratia magis con  
 ueniebat mihi memoriam precari propiciam. Ch.  
 Quid ita? P. Quia patientissimis auribus opus er  
 rit potius quàm strenua lingua. At auris memoria  
 diata est. Ch. Quanam iturus es? Quà ibis? P.  
 Hac ad sinistram, hac, illac, per forum. Ch. Comi  
 tabor igitur te. Affectabor ac deducam te ad diuer  
 ticulum usque. P. Non patiar te circumagi. Nol  
 lim te tantum laboris mea causa capere. Istuc officij  
 serua cum erit usus. Nūc nihil opus est. Ne mea gra  
 tia facias uiae tuae dispendium. C. Mihi quidem  
 compendium est, frui tantisper amico. Nihil habeo  
 quod agam, & non sum piger, ni tibi sum molestus  
 comes. P. Nemo iucundior affecla. At non si  
 nam, ut mihi claudas laeuum latus. Non admittā,  
 ut mihi sinister ambules. Ch. Hic te superis comi  
 tendo. Nolo te longius comitem. Vltterius nolo  
 me comiteris.

Comen

QUIORVM FORMVLAE. 45

COMMENDANDI FOR.

Ch. Tu me Curioni magnopere commendato. Fac me Curioni multiloquo quàm commendatiss. facias. Me Curioni commēdatum quàm diligentissime curato. Iube ut me sibi commendatiss. habeat. Ego me illi per te commendatum facio. Me tibi etiam atque etiam commendo. Me tuæ humanitati quàm possum diligentissime commendo.

¶ Recommendo pro commendo, barbaris relinquitto. Vide ne pauca cum multiloquo loquaris. Vide ne cum multiloquo sis pauciloquus.

OBSEQ. VII.

P. Vis me tibi morem gerere? Vis me tibi obsequi? Vis tibi obsecundem? Te igitur imitari me iubes? Quandoquidem ita vis, faciam libentissime. Ne sis mihi diutius in mora, imò ne uterque alteri.

Ch. Sed priusquam abeas, queso te ne graueris me docere, quo pacto his sit utendum, in mora, in causa, in culpa, qui soles elegantiae studiosus esse. Quare age, docæ obsecro. Dissere amabo.

IN CVLPA, IN CAUSA,  
IN MORA.

P. Mos gerendus est tibi. Non est culpa in me, nō est culpa in te. Mora est in te, in te causa est: grammaticæ quidem dicitur, at multo elegantius.

IN CVLPA.

Non sum in culpa. Culpa non est mea. Vaco culpa.

F S Quid

## FAMILIARIVM COLLOQVIVM

Quod nihil proficis, tua desidia in causa fuit, non præceptor, non pater tuus. In culpa omnes estis. Vtriusque in culpa estis. Vtrique culpandi estis. Ambo accusandi estis. Ambo in culpa estis. Incidisti in morbum tuo ipsius vitio, tua ipsius culpa. Itidem dicuntur in vitio esse, quibus culpa debet imputari: & in crimine esse, qui culpandi sunt: & in damno esse, qui damno afficiuntur. Hoc genus sermonis non temere licet invertere. Damnum in illo est, vitium in illo est.

### IN CAUSA.

Quo minus ad te scripserim, morbus in causa fuit. Quod rarius ad te scripserim, mea negocia in causa fuerunt, non negligentia. Quid in causa fuit? Quid cause fuit? Ego non sum in causa. Quod nullas à me literas acceperis, tabellarius in causa fuit. Quod tam macilentus es, amor, non studium in causa est. Hoc est cause.

### IN MORA.

Non ero vobis in mora. Quidnam vobis in mora fuit? Tu nobis in mora fuisti. Tu semper in mora es. Quid te remoratum est? Quis te remoratus est? Habes quod petebas, tuum est memorie insculpere. Habes assuetudine tua premium. Vale mi Christiane. Vale in crastinum & tu mi Petre.

### IN OCCVRSV.

Ch. Salve multum iucundissime Augustine.

A. Salve tantundem mi humanissime Christiane. Felix sit tibi huius diei exortus. Prosper sit tibi hic dies.

dies. Quid tandem agitur? Ch. Suauiter, ut nunc res nostræ sunt. Et cupio omnia quæ uis. A. Merito te amo. Amo te. Amandus es. Benigne dias. Commis es. Habeo gratiam.

IRASCOR TIBI, FOR.

Ch. At ego nonnihil tibi succenseo. At ego tibi subirascor. Verum ego tibi sum subiratus. Atqui ego sum in te stomachosior. Atqui nonnihil est, uel habeo, quod tibi succenseam.

QUA CAUSA? FOR.

AV. Quidnam est istud obsecro? Quid ita? Quam ob rem tandem oro? Quid admisi sceleris? Quid commerui? Promereor bona, aut laudem: commereor mala, aut poenam, illud in bonam, hoc in malam partem sumitur. Demeremur eum, quem nobis beneficio redimus obnoxium.

QUIA NON CVRAS ME.

Ch. Quod nulla mei tibi cura sit. Quod nihil nos respicis. Quod tam raro nos reuisas. Quod nihil nos cures. Quod me planè negligis. Quod nostri aram uideris abiēcisse. A. At nihil est cause cur succenseas. At præter meritum meum. At immerito succenses. Neque enim mea culpa accidit, quod te rarius uisam. Dabis ueniam occupationibus meis, per quas mihi non licet toties, quoties cupio, te reuisere. Ch. Ita demum tibi ignoscam, si hodie apud me coenes. Ea conditione purgatus mihi eris, si uespere ad coenam uenias.

FAMILIARIVM COLLOQVIVM

tas. Haud iniquas pacis leges præscribis Christiane, quare haud inuitus faciam. Equidē faciam uolens. Istud quidē fecero perlibenter. Haud grauate faciam. Hic sanē non me præbebo difficilem. Nihil hac re fecero libentius. Animo faciā lubenti. Ch. Laudo tuam facilitatem, & hac in re, & in cæteris omnibus. A. Sic soleo amicis obsequi, præsertim nō iniqua petentibus. Ridiculū, an tu me recusaturū putas oblatum, quod ultro etiam erat rogandum?

NE FALLAS ME, FORMVLA.

Ch. Age, at caue, ne me deluseris. Caue fallas. Caue spem frustra foueam. Caue luseris expectantem. Caue mihi uerba dederis. Vide ne me frustra habeas. Vide ne me uana spe lactes. A. Nihil opus iururando. In cæteris, in alijs time perfidiam, hac in re non fallam. Sed heus tu, caue quicquā paraueris præter quotidiana, mea causa diem festū nolo. Scis me conuiuā minime edacem, bibacem multo minus. Nosti enim me conuiuam nō multi cibi, sed ioci plurimi. Ch. Curabitur diligenter. Ego te Pythagorica cœna excipiā, aut fortasse frugaliore. A. Imō Diogenica, si me delectare uoles. Ch. Certe Platonica cœna te accipiam, in qua multū sit literatarū fabularum, cibi minimū, cuius uoluptas duret etiam in posterum diem. Alioqui qui prolixè fuerit acceptus, fortassis eo die suauiter afficitur, sed postridie dolet caput, crudus est stomachus. Apud Platonem qui



QUIORVM FORMVLAE. 47

nem qui cœnabat, unam uoluptatē capiebat ex apparatusu facili, fabulisq; philosophicis. Alterā postridie, quod nec capitis grauedinem, nec stomachi cruditatē sentiret. Ita prandebat etiam suauiter, ex condimento cœnæ pridianæ. A. Placet, fiat ut mones. Ch. Tu uide omnes curas tuas, ac rugas etiam istas domi relinquant. Huc præter nugas, & risum nihil adferas, Et, ut inquit, Iuuenalis: Protinus ante meū quicquid dolet exue limen. A. Quid? literas mecum uenire non uis? Musas meas mecum adducam, nisi quid aliter censes. Ch. Tetricas Musas unā cū negocijs domi claudas. Blandas Camœnas omnes, deinde sales tuos, diſſertia, scommata, facetias, lepores, ridicula omnia tecum adducito. A. Ita fiet. Exe porrigemus frontem. Bellos homunculos agemus. Ridebimus affatim. Curabimus cutem. Indulgebimus genio. Genialiter cœnabimus. Epicureos agemus. Bonum uultum faciemus, & erimus boni socij, inellegantium elegantia sunt, qui suam habent linguam sibi peculiarem. Ch. Quò nunc prosperas? A. Ad generum meū. Ch. Quid illuc, quid eo, quid illò? A. Audio nescio quid turbæ inter eos natum, ut redigam eos in gratiã, ut reducam in concordiam, ut pacem inter eos componam. Ch. Benigne facis, quanquã nihil te opus esse arbitror. Nam ipsi inter se melius hoc bellum cõposuerint. A. Fortassis & induciã indictæ sunt. Noctu de pacis legibus agetur.

FAMILIARIVM COLLO-

bus agetur. Sed nunquid me aliud uis? Ch. Vocabo te per puerū meum. A. Vbi uoles, domi ero. Bene uale. Ch. Bene sit tibi. Fac hic ad quintam horā adsis. Heus Petre, accerſe ad cœnam Augustinum, qui mihi hodie, ut ſcis, cœnam condixit. P V E R P E T R V S. Eo. Salue poëta. Cœna iam dudum parata est, te herus expectat domi, ubi uoles, accedas. A. Venio. Salue mi Christiane. Ch. Benefactum quod uenisti. Gaudeo te aduenisse. Gratulor mihi quod uenisti. Nondum quinta sonuit credo. P V E R. Imò iam dudum præterita est. Haud longe sexta abest. Inſtat hora sexta. Mox sextam audies. A. Parui refert, an poſt quintam uenerim, nec ne, modo ne poſt cœnam. Nam poſt feſtum uenire miſerum eſt. At quorſum tantus apparatus? Quorſum tot epulæ? Num me lupum exiſtimas? Num tibi lupus uideor? Num me uulturem putas? Ch. Non uulturem, ſed tamen nec cicadam, ut rore uiuas. Nihil eſt luxus. Mundicies mihi ſemper placuit. Sordes deteſtor. Nec Apicius mihi placet, nec Diogenes. Præſtat aliquid ſuperſeſſe, quàm deeſſe. Si præter cicæ nihil apponeretur, & fuligo forte illapſa in ollam condiret legumen, quid tum ederetur? Nec omnia ſapiunt omnibus. Itaq; mihi placet moderata uarietas. A. Non tu metuis leges ſumptuarias? Ch. Imò peccaui frequenter in diuerſum. Nihil opus nobis lege Fannia. Satis nos docet

QUIORVM FORMVLAE. 48

docet frugalitatem ipsa tenuitas. A. Haud ita conuenerat. Longe aliter pollicitus es. Ch. Age inepte, nec ipse conuenta seruas. Conuenerat enim ne quid præter nugas inferres. Quin hæc missa faciamus. Lauemus ac discumbamus. Heus tu puer, cape guttum ac patinam, linteum ex humero suspende, ministra aquam, quid cessas? Laua Augustine. A. Laua tu prior. Ch. Bona uerba. Hoc anno perpetuo illotus cœnare mallet. A. Ridiculum, nõ honoratori, sed turpiori ante alios lauandum est, laua igitur ut immundior. Ch. Tu es urbanus plus satis. Es urbanior quàm sat sit, quã par est. Quorsum attinet ista urbanitas? Huiusmodi ceremonias ineptas mulierculis relinquamus, quæ nunc & ab aulicis fastidiuntur, unde tamẽ olim profectæ sunt. Lauetis terni aut quaterni simul. Ne teramus tempus huiusmodi moris. Ego nulli designabo locum, sumat sibi quisq; quem uolet. Qui delectatur igni, hic cõmodius accumbet. Qui offenditur luce, deligat hunc angulũ. Quem delectat prospectus, hic se deat. Agite, satis morarum. Accumbite. Ego domi sum, uel stans cœnabo si lubeat, uel obambulans. Cessatis? At interim cœna corrumpitur. Vinamus nunc, curemusq; cuticulam. Simus nunc Epicurei. Nihil nobis cum fronte Stoica. Valeant curæ. Absit omnis liuor, exulet obtrectatio. Sit mens læta, frons hilaris, sermo lepidus. Ch. Qui nam sunt isti Stoici atq;

FAMILIARIVM COLLO

Stoici atq; Epicurei Augustine? A. Stoici philosophorum quoddam genus est triste, seuerum, ieiunū, qui hominis summum bonum honesto, nescio quo, metiuntur. Epicurei his longe diuersi, felicitatē hominis uoluptate terminant. Ch. Tu igitur cuias es tandem, Stoicus an Epicureus? A. Zenonem laudo, at Epicurum uiuo. Ch. Quod tu ioco dicis Augustine, id serio factitant hodie nō pauci pallio tantum & barba philosophi. A. Imō isti uel Aſotos superant luxu. Ch. Heus Dromo ades huc. Tuo munere fungere: consecra coenam. Puer. Quicquid appositum est, & quicquid apponetur felix ac sacrum esse iubeat, q̄ sua benignitate pascit uniuersa. Amē. Ch. Appone epulas. Quid cunctamur hūc capum decerpere? quid trepidamus hunc gallum lacerare? A. Ego Herculem præstrabo, ac belluam hanc conficiam. Vtrum mauis de ala, an de poplitibus? Ch. Vtrum uis, nihil mea refert. A. In hoc genere, alis primæ partes tribuuntur, in cæteris poplites lautiores putat uulgus. Ch. Tu multum laboris mea causa capis. Tu permultum laborem mea causa sumis. Tu omnibus ministras, ipse nihil edis. Ego tibi hanc alam ministrabo: at ea lege, ut dimidium mihi restituas. A. Itā ne agitur? At istud est tibi ministrare, non mihi. Tibi serua, ego enim sum impudentior, quàm cui ministrari quicquā debeat. Ch. Probe facis. A. Eho, tu lupo cibum ministras? Vulturem inuitas? Ch.

QUIORVM FORMVLAE. 49

uitas? Ch. At ieiunas, non coenas. A. Imò me uno nihil edacius. Ch. Imò mendacius nihil. Perinde agito ac si domi sis tuæ. A. Istud iam planè mihi persuasi. Istud iam in animũ induxi. Sic stat sententia. Consilium est istud facere. Ch. Quid tibi hoc uinum placet? Quid te hoc uilli delectat? A. Mihi quidem perplacet. Me certe uehemèter iuuat. Me satis delectat. Me non mediocriter iuuat. Ch. Vtrũ mauis rubrum, an candidum?

NON REFERT, QVO  
SIT COLORE.

A. Equidem utroq; iuxtà delector. Nihil refert quo sit colore, modo sapor placeat. Non laboro quantum oculis placeat uinum, modo palatum iuuet. Nihil me mouet aspectus, si sapor placeat. Parui refert quo sit colore, quem habeat colorem, si sapiat bene. Non cupio oculos pascere, si palato satisfacere queat, modo palatum iuuare possit. Nihil moror colorem, modo gratus sit sapor. Ch. Credo. Atqui sunt cœnaticæ philosophiæ cum primis periti, qui negant uinum esse probandum, nisi quod placeat quatuor sensibus: Oculis colore, naribus odore, palato sapore, auribus fama & nomine. A. Ridiculum, quid fama cõducit ad potum? Ch. Tantum ut multi non stupidi palati, uehementer probarint uillum Louanio uernaculum, quum crederent esse Belnense. A. Fortasse iam larga potatione palatum ob  
G surdus

FAMILIARIVM COLLOQ

surduerat. Imò nondū attigerant poculum. Tamen iudiciū tuū audire cupio, hominis his in rebus peritissimi. A. Album nostrates rubro præferunt: quod rubrū paulo sit acerbius, & alterum exilius quidē, sed illud mitius, & ut arbitror, salubrius. Ch. Habemus & subrubrū, & flauum, & purpureū. Hoc mustum est hornū. Hoc bimum est, si quē capit uetustas. Habemus & quadrimū. Sed iam uapescit ac desipiscit senio. Aetate uigor euauit. A. Luculli diuitias audio. Ch. Heus puer ubi cessas? Nos hic planè negligis, nō uides quāta sit hic siccitas? Quid si hoc rerū statu incendium cōtingeret, quo restinqueremus? Dato singulis plenos cyathos. Augustine quid habes, quod parum es hilaris? Quid accidit tibi, quod sedes tristior? Quid tibi est, quod minime gaudes? Aut doles, aut carmina condis. Tu nunc Chrysippum agis. Melissa tibi opus est. A. Quam hic mihi fabulam narrat? Ch. Chrysippus adeo fertur intentus fuisse suis argutis logicis, ut ad mensam etiam fame periturus fuerit, nisi ancilla Melissa cibū in os ingessisset. A. Ille uero indignus erat, qui seruaretur. sed si te offendit taciturnitas, placet q̄; cōuiuium uocalius, est quo id efficias. Ch. Memini. Recte admones, liberalius bibendū, largius, copiosius, meratius oportet bibere.

REM ATTIGISTI.

A. Rem acu tetigisti. Recte iudicas. Scopum attigisti. Nam

QVIORVM FORMVLAE. 50

sti. Nam fœcundi alies, quem nō fecere disertum?  
 Ch. Perdocte tu quidem Augustine, ut omnia. Sed  
 quoniam in sermonem uinarium, quando in men-  
 tionē incidimus uinorum, libet interrogare, quonā  
 cōsilio ueteres illi Bacchum, quem uini authorē ui-  
 deri uolebant, poëtarum deum dixerint. Quid enim  
 illi temulento deo, cum poëtis musarum uirginū cul-  
 toribus? A. Quæstio, ita me Bacchus amet, poculis  
 digna, uerum quorsum tuæ quæstiones spectent, sa-  
 tis intelligo. Ch. Quorsum amâbo? A. Astute de  
 uino disputationem inycis Gallica techna, quā didi-  
 cisse Parisijs te suspicor. Nimirum quo minus inte-  
 rim absumatur uini. Abi, uirum te iudico, nō frustra  
 in tanta schola uersatus es. Ch. Accipio tua dicta:  
 referam paria commata, ubi erit commodum. Sed  
 ad rem. A. Dissoluam ubi bibero. Siquidē absur-  
 dum fuerit sicco palato, de quæstione uinosa disputa-  
 re. Præbibo tibi Christiane. Propino tibi hunc scy-  
 phum dimidiatū. Ch. Accipio abs te libenter. Sit  
 saluti, prosit. A. Iam accingor, ut me missum faci-  
 as. Ego meo more præpostere faciā. Quod Baccho  
 pueritiæ effigiem tribuerint, id habet mysterij, quod  
 uinū potum curas, & sollicitudines animis nostris  
 eximit, hilaritatemq; quandā inducit. Quare seni-  
 bus quoq; ipsis iuuentam quandam reddere uidetur,  
 dū & hilariores facit & formosiores. Id quod Hora-  
 tius cum multis in locis, tum præcipue his uersibus

FAMILIARIVM COLLO

aperte testatur: Ad mare cum ueni, generosum & lene requiro. Quod curas abigat, quod cum spe diuinitate manet. In uenas animumque meum, quod uerba ministrat: Quod me Lucane iuuenem commendet amice. Nam quod huic poetas dicarunt deo, id significatum uoluisse suspicor, quod uinum & ingenium exaltat, & facundiam ministrat, quae duo poetae sunt aptissima. Vnde frigent carmina, quae scribuntur aquae potoribus. Est quidem igneus suapte natura Bacchus, sed adhibitis nymphis redditur temperatior. Habes quod querebas. Ch. Nihil unquam audiui uerisimilius dici ab homine poeta, dignus es qui bibas gemma. Heus puer, tolle hanc patinam, atque appone caetera. A. Puerum habes admodum inurbanum. Ch. Est ueterator nequissimus. A. Cur non instituis alio pacto? Ch. Difficile est canem uetulum loris assuescere. Difficilimum est, ueteratoris mutare mores. Vetulus canis non facile assuescit loro. Me quidem dignus est. Dignum patella operculum.

SI COGNOSCEREM QUID

te oblectet, tibi seruirem, formula.

A. Decerperem tibi quippiam, si palatum tuum tenerem. Ministrarem tibi, si gula tua mihi satis cognita esset. Apponerem tibi si quid potissimum iuuaret, scirem. Si nossem ingenium palati tui, essem tibi struictor. Equidem tantundem palato, quantum animo sapio.



QUIORVM FORMVLAE. 51

Sapio. Ch. Palatum habes eruditissimum. Nihil tuo palato doctius, nec eo te puto inferiore, de cuius singulari peritia testatur Satyricus:

Ostrea callebat primo deprehendere morsu.

Et semel aspecti dicebat litus echini.

A. Et tu mihi Christiane, ut par pari referā, ipsum audiuisse Epicurum, aut in schola Catiana institutus uideris. Quid enim tua gula, aut sapientius, aut fastidiosius?

Ch. Si oratoriam aequae artem, ut culinariam callerē, nec Cicero ipse me uinceret.

A. Equidem si alterutra carendum esset, culinariam quā rhetoricam mallet.

Ch. Subscribo tuo iudicio, grauius acute, uereq; iudicas. Quid enim oratorum confert loquacitas, nisi quod aures ociosas inani uoluptate demulcet?

Culinaria tum palatum, tum uentrē, tum totum hominem, quantus est, pascit ac reficit.

Concedat laurea linguae, inquit Cicero: at utraq; concedat culinae.

Nunquam mihi Stoici illi magnopere placuerunt, qui omnia ad suum nescio quod, honestum referentes, cutis ac palati nullam rationē habendam putant.

Dici non potest quāto Diogene sapientior Aristippus mihi fuisse uidetur.

A. Ego Stoicos cū suis ieiunijs contemno. Epicurum magis laudo ac probo,

quā Diogenem illum Cynicū, qui crudis oleribus, ac simplici aqua uictitabat.

Quare nihil miror si Alexander rex fortunatissimus se Alexandrū quā Diogenem esse maluit.

Ch. Nec ego sanē quamlibet

FAMILIARIVM COLLO

bet uilis homundo cum Diogene meam philosophiam commutarem, fortassis & Catius tuus facere recusaret. Melius nostri temporis Philosophi sentiunt, qui contenti Stoicorum more disputare, uiuendo ipsum etiam Epicurum uincunt. At ego quidem rem in primis præclaram philosophiam puto si paræ adhibeatur. Nimium philosophari non laudo. Est enim res perquam ieiuna, sterilis atque tristis. Vbi in calamitatem aut ægritudinem incidi, tum demum ad philosophiam, tanquam ad medicam confugio. Vbi conualui, rursus illi uale renūcio. A. Tuam rationem probo. Belle philosopharis. Salue igitur philosophe, non è Stoa, sed è culina.

Ch. Quid tandē habes Erasmi, quod parum sis hilaris? Quid sibi uult corrugata frons? quid silentium? An mihi succenses, quod te frugaliore cœna exceperim? Er. Imò tibi sum iratus, quod tantum impendij mea causa sit factum. Interminatus erat Augustinus, ne sua causa diem festū faceres, uis nos posthac redire nunquam. Nam talem cœnā dare solent ij, qui unam duntaxat dare cōstituisent. Quos tādē conuiuas uideris accepisse? Nō amiculis, sed satrapis cœnam parasse uideris. An nos helluones esse credis? Hoc non est dare cœnam, sed triduanam saturitatem. Ch. Etiam tu pergis esse Demea. Cras ut lubet disputa, hodie Mitionem te præbeas, oro. De impendio cras sobriū disputabimus, nunc nil nisi me  
 ras nugas

ras nugae audire libet. A. Christiane, utrum de bubulis an de ouillis carnibus mauiſ? Ch. Bubulis quidem magis delector, at ouillas magis ſalutares arbitror. Ita ingenium eſt hominum, ut pernicioſiſſima quaeq; appetant uehementiſſime. A. Galli ſuillas carnes mirum in modum amant. Ch. Galli amant quae paruo conſtant. A. Hac una in re Iudaeus ſum. Nam nihil aeque odi atque carnes ſuillas. Ch. Nec iniuria. Quid enim inſalubrius? Ego in hoc non cum Gallis, ſed cum Iudaeis ſentio. Er. At ego ouillas pariter amo, & ſuillas, ſed diuerſa ratione. Nam ouillis, quod amem, libenter ueſcor. Suillas praemore non attingo, ne quid offendam. Ch. Bellus homo eſt Eraſmi ac feſtiuus. Equidem mirari mecum ſaepe ſoleo, unde tanta in palatis humanis diuerſitas. Nam ut Horatiano carmine utar:  
 Tres mihi conuiuae propè diſſentire uidentur  
 Poſcentes uario multum diuerſa palato.  
 Er. Quanquam, ut ait Comicus, quot homines tot ſententiae, & ſuus cuiq; mos, tamē nemo me adduxerit, ut credam plus ingenij in eſſe uarietatis quam palatis. Ita uix duos reperias, quos eadem iuuent. Per multos uidi, qui butyri, ac caſeine olfactum quidem ferrent. Sunt quibus carnes nauſeae ſint. Alius elixis, alius aſſis abſtinet. Multi aquam uino praeferrunt. Et quod incredibile eſt, uidi hominē, qui nec pane, nec uino uteretur. Ch. Et quibus tandem miſer ille ui-

FAMILIARIVM COLLO/

Et itabat? Quibus nesciebatur? Er. Caterorum nihil fastidiebat, non carnes, non pisces, non olera, nō por-  
 ma. Ch. Vis ut istud tibi credam? Er. Si lubet.  
 Ch. Credo, at ea lege, ut uicissim mihi mētienti fidē  
 sis habiturus. Er. Age faciam, modo uercaunde men-  
 tiaris. Ch. Quasi uero sit quicquam tuo commē-  
 to impudentius. Er. Quid dicet frons tua, si homi-  
 nem tibi cōmonstrem? Ch. Macilentum quem piā  
 ac monogrammum esse oportet. E. Imō diceres  
 athletam. Ch. Polyphemum potius. E. Hoc tibi  
 mirum uideri demiror, quum multi sint quibus pisces  
 uento durati, sint panis loco. Nonnullis hoc præstēt  
 herbarum radices, quod nobis panis. Ch. Credo,  
 sed perge mentiri. E. Quendam in Italia, quum il-  
 lic agerem, uidere memini, qui nullo neq; abo, neq;  
 potu adiutus, somno saginabatur. Ch. Ut nihil pu-  
 det. Non possum illud Satyricum non dicere: Tunc  
 immensa caui spirant mendacia folles. Tu poētaris.  
 Tu nunc poētam agis. Nam mentiris dicere, mihi re-  
 ligio est. E. Mentiar, si non Plinius author certissi-  
 mus scripsit, ursum quatuordecim dies solo somno  
 mirū in modū saginari, quo tamen ita alte premitur,  
 ut ne uulneribus quidem queat exātari. Imō quo ma-  
 gis mireris, addam quod Theophrastis scribit, per  
 id tempus ursorū carnes coctas quoq; si a seruētur,  
 reuiuiscere. Ch. Vereor ne Parmeno ille Teren-  
 tianus ista non contineat. Mihi facile fidem facis.  
 Ministra

Ministrarem tibi de ceruinis carnibus, si satis essem urbanus. E. Vnde tibi nunc uenatio? Vnde ferina? Ch. Midas homo hominum, qui uiuunt, liberalissimus, nostriq; amantiſſimus, mihi misit dono. Dono quidem, sed sicut ego minoris emā saepe numero. E. Qui sic? Ch. Quia famulis plus dandum, quā daretur in macello uendenti. Er. Quæ res cogit hoc facere? Ch. Tyrannus omnium uiolentiſſimus. E. Quis iste? Ch. Mos. E. Profecto tyrannus iste frequenter iniquiſſimas leges obtrudit mortalibus. Ch. Idem suo more nudius tertius hunc ceruum uenatus est. Quid tu, qui soleas istius studij esse amantiſſimus? A. E/ quidem hoc studio planè relicto, iam præter literas nihil uenor. Ch. At mihi uidentur literæ quouis ceruo fugaciores. A. Duobus tamen potissimum canibus aſsequimur, admiratione scilicet, atque improbitate laboris. Nam & admirari plurimū discendi ardorem ministrat, & ut facundiſſimus poëta scripsit: Labor omnia uincit Improbus. Ch. Amanter admones Augustine, ut soles: propterea non desistam, non conquiescam, non defatigabor, donec consequar. A. Carnes ceruinæ sunt nunc admodum tempestiuæ. Meminit Plinius de hoc animante quiddam admirabile. Ch. Quidnam obsecro? A. Quoties arrexere aures, acerrimi esse auditus, at contra cum remisere, surdos.

G 5 Ch. Istud

FAMILIARIVM COLLOQVIVM

Ch. Istud ipsum mihi saepenumero euenit. Nam si quando fiat sermo de recipiendis aureis, nihil tam auritum. Hic enim cum Pamphilo illo Terentiano aures arrigo: ubi de numerando uerba fiunt, illic remitto.

A. Laudo te. Facis ut te decet. Ch. Vis de his leporinis clunibus? A. Tibi sumito. Ch. An detergo mauis? A. Hoc animal praeter ilia & clunnes nihil habet appetendum. Ch. Vidisti ne unquam leporem candidum? A. Saepenumero. Plinius in alpinibus candidos reperiri scribit, quibus hybernis mensibus niuem pro abatu esse sit creditum. An uerum sit, Plinius ipse uiderit. Quod si leporis autem candidam reddit nix, stomachum habeat candidum, necessesse est. Ch. Mihi uerisimile non fit. A. Accipe magis admirandum, at fortasse tibi non in auditum. Idem utraque uim singulis inesse testatur maris et foeminae, ac foemellas sine mare aequae gignere. Istud ipsum multi asseuerant, praesertim uenandi studiosi.

Ch. Est ita ut dicis. Sed hos cuniculos, si placet, tentemus, quia pinguiusculi sunt ac tenelli. Ministrarem illi nymphae, si propius assiderem. Augustine istius tibi uicinae curam age, si libet: calles enim quo gestu sit ministrandum istis Veneribus. A. Teneo quid dicas nasute. Ch. Quid te anserinae carnes delectant? A. Me quidem non mediocriter iuuant, ut sum minime fastidiosus. At hic anser, nescio quo pacto, nihil me iuuat: nihil enim in uita uidi siccaus. Siccaior est pumice.

pumice, aut etiam nouera Furij illius, in quē Catullus multum iocatur. Ligneus mihi uidetur. Et me hercule, quantum suspicor, ueteranus miles immodicis excubijs sese macerauit. Aiūt enim anserē inter omnia animalia longe esse uigilantiſsimū. Et profecto, nisi coniectura fallor, hic anser ex eorū numero est, qui canibus unā cū excubitoribus somno sopitis, Romanum olim Capitolium defenderunt. Ch. Verisimile (ita me deus amet) dicis: nam ex eo seculo relictū arbitror. A. Hæc quoq; Gallina, aut parcum saginatore habuit, aut amauit, aut certe zelotypa uixit, quo quidem morbo hoc animantis genus maxime laborat. Hic capus longe melius pinguit. Vide cura quid faciant. Quod si ex Theodorico nostro Gallo faceremus capū, multo citius pinguesceret. Theod. Non sum Gallus. A. Fateor, non es Gallus Cybelles, neq; gallus gallinæus, at forte gallus gallæus. Ch. Quid hoc uerbi est? A. Hoc ænigma tibi coniectandū relinquo. Ego Sphingem præstiti, tu Oedipus esto. Ch. Dic mihi bona fide Augustine, nulla tibi cum Gallis unquam fuit necessitudo? Nihil ne affinitatis tibi cum Gallis contraxisti? Nullum fuit commercium? A. Nihil, nihil sanè. Ch. Tanto es nequior. Sed cum Gallabus nonnihil. Ch. libet ne de iecore anserino, quod apud ueteres in delitijs cum primis habebatur. A. Non sum reiecturus quod

## FAMILIARIVM COLLOQVIVM

quod à tua manu uenerit. Ch. Non est quod expectes Romanas delicias. A. Quas? Ch. Carduos, cochleas, testudines, colubros, fungos, boletos, tubera. A. Istis omnibus ego uel rapam præferam. Liberalis es, benignus es Christiane. Ch. Has perdices nemo attingit, ne columbos quidem. Cras est dies ieiunij ab ecclesia indicti, aduersus hanc esurientiam munite uos. Onerate saburra nauim aduersus imminentem tempestatem. Bellum instat, instruite uentrem commeatu. A. Utinam istuc uerbi tacuisses. Hilariores surrexissimus à cœna. Miseros nos reddis ante tempus. Ch. Quid ita? A. Quia minus anguem odi quàm pisces. Ch. At non tu solus. Quis hoc tædij nobis inuexit? Ch. Quis commonstrauit aloen, absynthium, & scammonium dare in remedijs? A. Sed ista dantur ægrotis. Ch. Sic hæc dantur nimium recte ualentibus. Aliquando præstat ægrotare, quàm plus satis ualere. A. At mihi uidetur minus oneris olim impositum Iudæis. Equidem ab anguillis & porcis facile temperarim, modo liceat capis & perdicibus expleri. Ch. In plerisque non res, sed animus nos discernit à Iudæis. Illi manum abstinebant à certis cibis, uelut ab immundis, & animum inquinaturis. Nos quum intelligamus omnia munda esse mundis, tamen carni lasciuianti, uelut equo ferocienti pabulum subducimus, quo magis dicto sit audiens spiritui. Nonnunquam  
immoderatum



QVIORVM FORMVLAE. 55

immoderatum suauium rerum usum abstinencia molestia castigamus. A. Audio, sed eadem opera defendi posset circuncisio præputij. Moderatur & illa coitus pruritus & cruciatum adfert. Si omnes itidem abhorrerent à piscibus atq; ego, uix à parricida tam atrox supplicium exigere. Ch. Quorundam palato gratior est piscium quàm carniū esus. A. Congruunt igitur his, qui gulæ seruiunt non ualetudini. Ch. Equidem audiui quondã apud Aesopos & Apicios præcipuum luxum in piscibus fuisse. A. Qui conueniunt igitur delitiæ cum supplicio? Ch. Non omnibus sunt murenæ, aut scari, aut acipenseris. A. Ergo tenues soli discruciantur, quibus satis male est, etiam quum uesci licet carnibus. Fit enim non raro, ut quum licet uesci per ecclesiam, non liceat per crumenam. Ch. Durum me hercle interdictum. A. Quod si interdictus carniū esus diuitibus uertitur in delitias, & si pauperibus sepe non licet uesci carnibus, etiã quum licet, ac ne piscibus quidem, qui ferè carius emuntur, cui igitur bono erit interdictum? Ch. Omnibus, nam tenuibus cochleis aut ranis licebit uesci, aut cepam porrūmue arrodere. Mediocres detrahent nonnihil quotidianis obsonijs. Quod si qui diuites delitiabuntur hac occasione, suæ gulæ imputent, non incusent ecclesie constitutionem. A. Pulchre dixti. Sed interim à tenuibus, qui summis sudoribus alunt  
familiare

FAMILIARIUM COLLOQ

familiam, & procul absunt ab omnibus ac lacubus, exigere carniū abstinentiam, est indicere famem, aut βελιμίαν magis. Atqui si quid Homero credimus, longe miserrimum mortis genus est, perire fame. Ch. Sic uisum est Homero cæco, at apud Christianos miser non est, qui bene moritur. A. Esto sanè. Sed tamen durum est à quoquam exigere ut moriatur. Ch. Nec hoc animo pontifices interdiciunt esum carniū, ut intereant homines, sed ut uel affligantur moderate, si deliquerunt, uel subducto lætiore pabulo, corpora minus ferociant aduersus spiritum. A. Istuc ipsum efficiet moderatus carniū esus. Ch. Sed in tanta corporum uarietate, certus carniū modus præscribi non potest, cibi genus potest. A. Sunt & pisces, qui multum addant alimentum, sunt carnes, quæ minimum. Ch. Sed in genere plus alunt carnes. A. Age dic mihi, si quo tibi foret iter, utrum mallet equum alacriorem ac sublasciuū, an morbidum, qui subinde collabens se forem deiciat in terram? Ch. Quorsum istud? A. Quia piscium esus corruptis humoribus, corpora nostra reddit magnis morbis obnoxia, ut iam spiritui non possint subseruire. Ch. Quibus morbis. A. Podagra, febris, lepra, morbo regio. Ch. Qui scis? A. Credo medicis, id malim quàm experiri. Ch. Id fortassis in paucis accidit.

QVIORVM FORMVLAE. 56

accidit. A. Equidem arbitror in pluribus. Porro quoniam animus agit per organa materialia corporis, quæ malis aut bonis humoribus afficiuntur, et uiciatis instrumentis, non potest ut uult exerere uim suam. Ch. Sæo medicis magnopere damnatum esse piscium esum, sed secus uisum est maioribus nostris, quibus obtemperare religiosum est. A. Religiosum erat & olim non uiolare sabbatum, sed prius erat seruare hominem sabbato. Ch. Sæa quisq; saluti consulat. A. Imò si Paulo uolumus auscultare. Nemo quæ sua sunt quærat, sed quisq; quæ alterius. Ch. Sed unde nobis hic nouus Theologus in cõuicio? Vnde nouus hic ac subitus magister noster? A. Quia mihi male conuenit cū piscibus. Ch. Quid igitur? An non abstines à carnibus? A. Abstineo: sed obmurmurans, nec sine meo magno malo. Chr. Caritas omnia suffert. A. Verum, sed eadem quàm minimum exigit. Si suffert omnia, quur non ferunt nos his uesci cibus, quos indulset libertas Euangelica? Quur hi à quibus Christus toties amorem sui stipulatus est, patiuntur tot hominum & corpora periclitari morbis capitalibus, & animas æternæ damnationis periculo, ob rem nec interdictam à Christo, nec per se necessariam. Ch. Vbi aliud suadet necessitas, cessat humanæ constitutionis uigor, cessat & uoluntas nomothetæ. A. At non cessat offendiculum infirmorū. Non cessat scrupulus

FAMILIARIVM COLLO=

pulus meticulosæ conscientie. Postremo non satis constat, quibus limitibus finiatur ista necessitas. An quum cœperit ichthyophagus agere animam? Sero morienti porriguntur carnes. An quum totum corpus habet epialus? Non tanti erat ciborum delictus. Ch. Quid igitur tu uelles præscribi? A. Scio si quis mihi credat ecclesiasticæ rei dictaturâ. Ch. Quid istuc uerbi est? A. Si summus essemus pontifex, hortarer omnes ad perpetuam uitæ sobrietatem, sed præcipue sub diem festum. Cæterum ius facerem cuiq; uescendi quibus uellet pro corporis salubritate, dum moderate & cum gratiarum actione. Daremq; operam, ubi hoc quod detraheretur obseruationibus huiusmodi carnalibus, accresceret ad studium ueræ pietatis. Ch. Nimirû istud mea quidem sententia tanti est, ut te faciamus pontificem. A. Rides, sed tamen ceruix hæc sufficeret uel triplici coronæ sustinendæ. Ch. At interim uide, ne ista scribantur inter articulos Parisiensium. A. Imò quicquid dictum est, scribetur in uino, sicuti par est dicta inter pocula. Sed satis iam Theologie in conuiuio. In cœna sumus non in Sorbona. Ch. Quid uetat dici Sorbonam, ubi bene sorbetur? A. Sorbeamus igitur non disputemus, ne nobis à sorbis dicatur sorbona, non à sorbendo. Ch. Agite hospites humanissimi, quæso ut cœnulâ nostrâ licet tenuem æqui boniq; consulatis. Præber  
te uos

QVIORVM FORMVLAE. 57

te uos hilares ac lubentes, quanquam conuiuium te  
nue sit & frugale, ego uestra facilitate fretus, fami  
liariter uos uocare sū ausus. Et est sanè uester mihi  
aduentus conspectusq; non modo gratissimus, uerū  
etiam iucundissimus. Conuiuæ. Cœna tua Christia  
ne optime, multis modis elegans lautaq; nobis uide  
tur, quod excusas id unum habet accusandum. Nam  
magnificentior fuit, quàm sat est. Siquidem hoc cō  
uiuium opiparum in primis, ac lautum iudicari, &  
quod primum simplicibus epulis, deinde liberalitate,  
risu, iocis, salibus sit conditū, quæ omnia nostro con  
uiuiuo non defuerunt. Verum conuiuiarum de nume  
ro hic mihi quiddam in mentem uenit, quos neque  
pauciores tribus, neque plures nouem esse oportere  
scripsit Varro. Tres enim sunt Charites, id est, Grā  
tie, humanitatis ac beneuolentiæ præsidēs, & nouē  
sunt Musæ honestiorum studiorum duces. At hic de  
cem conuiuas esse uideo, uirginibus exceptis. A. Ni  
hil conuenientius accidere potuit. Nos sumus Var  
rone ipso paulo sapientiores. Nam tres puellas lepi  
dissimas, tanquam tres Charites adhibuimus. Deinde  
quia à nouem Musarū choro Apollo abesse nun  
quam credendus est, iure decimum adiecimus con  
uiuam. Ch. Poëtice dixisti. Si mihi laurus adesset,  
laurea corona caput tuum cingerem, fieresq; Poëta  
laureatus. A. Si malua coronatus essem, malua  
tus. Tantum honoris mihi non arrogo. Honor hic  
H maior

FAMILIARIVM COLLOQ

maior est, quàm ut mihi conueniat. Haud equidem tali me dignor honore. Ch. Vultis ne singuli tantundem mea causa facere, quantum uestra sum facturus? Conuiuæ. Volumus, ac libentes quidem. Ch. Ebibetis igitur ordine suum quisq; calicem. A me exemplum capietis. Tibi hoc primum propino Midas. MIDAS. Accipio abs te libenter.

¶ Pro quo uulgus præstolor dicit. Equidem nõ recusabo. Nihil tua causa recusabo. Ch. Tu deinde cæteris propina. Midas. ERASMI præbibo tibi dimidiatam pateram. Eras. Precor ut sit tibi bono. Sit tibi bonum atq; commodum. Prosit tibi.

¶ Proficiat durius dicitur Ch. Sed cur cessat pateram? Cur non obambulat. Defeat nos uinum? Vbi sunt oculi tui furcifer? Vola, adfer eiusdem generis sextarios duos. PVER. Erasmi, salue, quidã proforibus te conuentum expetit. Era. Quisnam est? PV. Mori famulũ se dicit, herum eius ex Britannia aduenisse, cupere ut se uisas, quandoquidem prima luce iter parat in Germaniam. Era. Christiane subducatur ratio, nam mihi quidem abeundũ. Ch. Rationem Erasmi doctissime huius coenæ ego confeceris. Non est quod calculum frustra teras, gratiã habeo, qui dignatus sis nostro adesse conuiuio. Sed auerari te molestum est, nondum peracta fabula. Era. Quid superest, nisi ut dicam ualete & plaudite? Ch. Age boni consulemus, quando tu non ab equo ad asinũ

QVIORVM FORMVLAE: 58

ad asinos, sed ab amicis ad amicissimos properas.  
 Era. Ego pariter tibi gratias ago, quod pro tua hu-  
 manitate ad hoc conuiuium longe suauissimum me  
 uocaris. Valete sodales optimi. Bibite non segniter,  
 & uiuite suauiter. Ch. Heus dromo? Sedetis iam  
 dudum ociosi omnes. Libet ne cuiquam quicquam am-  
 plius? Conuiua. Nihil omnino. Strenue munus no-  
 strum administrauimus. Ch. Tolle igitur haec, ac  
 bellaria appone. Muta quadrulas atq; orbes. Tolle  
 cultrum meum qui humi decidit. Pira uino perfunde.  
 Ad sunt mora praecoqua etiam domi nostrae nata.  
 Conuiua. Tanto erunt suauiora quod uernacula.  
 Ch. En pruna cerea, en Dama, cena, rarum apud nos  
 spectaculum. En mitia mala. En mali nouum genus,  
 cuius matrem ego hisce manibus conseui. Noces, ca-  
 staneae, omne deliciarum, quas horti nostri benigne  
 effundunt, genus. A. Sed flosculi desunt. Ch.  
 Isti Gallici sunt apparatus, qui magnificentiam eam  
 potissimum amant, quae minimo constet. Nobis non  
 est ea mens, aut ingenium. Sed heus tu Augustine,  
 num tu credis te hic immunem bibisse? Ego ne te  
 meis immunem tingam poculis? At interim propina-  
 tori tuo dimidium scyphi debes. A. Is iandudum  
 me missum facit. Is mihi huius debiti gratiam fecit.  
 Ch. Vnde ille sibi uindicat tantum auctoritatis?  
 Vix Romanus pontifex hoc uinculi relaxet. Non  
 si prisam conuiuiorum legem. ἢ πίθη ἢ ἄπιθη.

H 2 A. Rē

## FAMILIARIVM COLLO/

A. Remittendi iusiurandi ius habet is, cui factum est, & cuius intererat seruari. Ch. Sed omnium conuiuarum interest, seruari leges inuiolabiles. A. Age quando hæc est Germanorum religio, exorbebo quod reliquum est. Sed quid tibi rei mecum est? Ch. Impendium reddas oportet, unus nomine omnium. Quid expalluisti? Ne uerere, per facile poteris. Fac quod sepe fecisti, ut aliqua elegãtia doctiores à cœna surgamus. Neque enim clam te est, ueteres illos in secundis mensis hilariora quædam disputare solitos. Age igitur, quibus & quot modis hæc oratio potest enunciari: Indignum auditu?

### INDIGNVM AVDITV, FOR.

A. Dixti pulchre per posterius supinũ. Auditũ minime est dignum. Indignum est audiri. Haud dignum est, quod audiatur. Est ut audiatur indignũ. Leuius est, quàm quod audiri debeat. Vix operæ pretium est referre. Non tanti est, ut audiatur. Ineptius est, quàm quod audiatur. Non est operæ pretium narrare. Ch. Quot modis hæc sententia uerti potest?

### VARIANDI RATIO HANC

orationem, Magno mihi constat.

A. His uerbis impendo, in sumo, impertio, constat. Ut, multum in te docendo insumpsi laboris. Plurimum ea in re operæ insumpsi. Non minus pecuniæ quàm curæ in eam rem impendi. Non parum insumpsi



sumpsi pecuniae, temporis permultum, laboris plurimum, ingenij nonnihil. Multū lucubrationis impendi. Multis uigilijs hæc res mihi constat, multo sudore, multa opera, plurimo labore, sumptu ingenti, pecunia magna. Pluris mihi constat quàm credas.

Minoris mihi constat uxor, quàm equus meus. Ch.

At quid sibi uult Augustine, quod uerbo isti, constat, modo ablatiuum, modo genitiuum casum apponis?

August. Questionem perutilem, ac late patentem mouisti. Verū ne conuiuas loquacitate mea premā, paucissimis absoluam. Sed cupio singulorum hæc de re audire sententiam, ne cuiquam (ut dixi) sim molestus. Ch.

Quid ni cupiant idem uel puellæ? A. Ille sanè nihil aliud quàm audient. Accingar igitur grammatica bene fortunante. Sās uerba emendi ac uendendi, aliāq; esse consimili significato, quibus apponantur hi genitiui soli, tanti, quanti, pluris, minoris, tantidem, quantiuis, quantianq;. At ita si substantiua non apponantur, quæ si accedant, utraque in ablatiuum casum uertuntur. Quod si pretium certum apponatur, pones in ablatiuo. Si per adiectiuū, substantiuum in ablatiuo pones, nisi per aduerbia loqui malis. Ch.

Quenā uerba sunt de quibus præcipis? A. Hæc ferè sunt, emo, mercor: redimo, id est, aut captum, aut perditum, uendo, uenundo: reuendo, id est, rursus uendo, quod mihi uenditū erat uenco, id est, uendor, cuius præteritum ueniui uel

## FAMILIARIVM COLLOQVIVM

uenij, supinum uenum. Hinc uenalis. Ab illo, id est, uendo, uendibilis manat. Mereo pro inseruio & stipendium facio. Comparo, id est, emo uel committo. Commuto, muto, permuto. Cambire penitus barbarum in hoc sensu. Aestimo, taxo: indico pro aestimo, censeo. Liceor eris, licitor aris, addico. Distrahor, id est, circūferor ut ueneam. Metior pro aestimo, aut taxo. Constat pro emitur. Conducere, locare. Fœnero, ad fœnus do. Fœneror, ad fœnus accipio. Paciscor, pactus sum. Pango, pepigi, id est, pactum facio. Ch. Da exemplum.

### VENDENDI ET EMENDI FOR.

A. Quanti istum agrum in singulos annos locas? Respondebimus: Vigenis francis. Hui nimio locas. Imò locaui olim multo pluris. At ego tanti non conducam. Si conduxeris minoris, peream. Imò iam uicinus tuus Chremes agrum obtulit, ac rogat. Quantis? Tantidem quantum tu petis. At multo meliorem. Mentiris. Facio, ut solent qui licentur. Tu ipse tanti posside. Quid liceris uel licitaris, cū nihil sis empturus? Quanticunq; addixeris, soluā optima fide.

### ALTERVM EXEMPLVM.

Congrum istum Syra quanti uendis? Decē obulis. Nimio turpissima. Imò minimo, nulla tibi uendet minoris. Emoriar si non tanti mihi constat, aut certe non multo minoris. Mentiris uenefica, quoniā duplo uis uendere, aut triplo. Et centuplo si queam, sed fatuos

QVIORVM FORMVLAE. 60

tuos non inuenio. Quid si liciter teipſam? Quanti æſtimas te? Vt lubet, quanti me liceris? Quanti in-  
dicas te? Dic, quanti te taxas? Quanti teipſam inſcri-  
bis? Decem ſcutatis. Hui, tanti? Eho, an tu minoris  
me æſtimas? Ego olim non ſemel, pluris in unam no-  
ctem ſum conducta. Credo, at nunc nõ paulo minor-  
ris æſtimo, quàm piſcem. Abi in malam rem ganeo,  
tantidẽ te æſtimo, quanti tu me. Qui te teruncio emer-  
rit, nimio emerit. Aut pluris emar, aut nõ uendar.  
Si magno uenire cupis, larua tibi opus eſt, nam ru-  
ge iſte nõ ſinunt, ut carius uendaris. Ei qui tanti me  
nolit, non ſum uenalis. Ego ne culmo quidem te ex-  
mero. Conſtiti pluris.

TERTIVM EXEMPLVM.

Auſtioni hodiernæ interfui. Ain tu? Licitatus ſum  
ueſtigalia. Quanti tandem? Decem milibus. Hui,  
tanti? Ne mireris, erant qui multo pluris lixeren-  
tur, pauci qui minoris. Cui tandem addicta ſunt ue-  
ſtigalia? Chremeti, uxoris tuæ ſummo & maximo  
amico. Sed diuina quanti ſunt addicta. Decem.

Imò quindecim. Deus bone. Ego mihi hominem  
ipſum cum tota familia dimidio addictum nolim.

At ille uxorem tuam duplo emptam cupit.

Animaduertiſti ne in his orationibus, ubicũq; abſit  
ſubſtantiuũ pretij, id in ablatiuo poni, cæteris aut in  
genitiuo poſitis, aut in aduerbium mutatis? Compar-  
tatiuum nunquam audiſti ſine ſubſtantiuũ: exceptis

H 4 illis

FAMILIARIVM COLLO-

illis duobus, pluris & minoris. Sunt & alia uerba, de quibus sumus loquuti, non admodum dissimilia: Sum, facio, habeo, duco, aestimo, pendo, quæ idem ferè significant: fit itidem. Iunguntur autem his ferè genitiuis, multi, parui, magni, pluris, plurimi, minoris, minimi, maximi, tanti, quanti, flocci, pili, nihili, nauci, & si qua sunt his similia. CHRI. Da exempla.

ÆSTIMANDI FOR.

A. Scis quanti te semper fecerim? Tanti fies apud homines, quanti uirtutem facies. Præceptores meos semper feci plurimi. Aurum hac tempestate magni penditur, literæ nihili, siue pro nihilo ducuntur. Aurum minoris habeo, quàm credas. Tuas minas flocci facio. Promissa tua duco minimi. Non pili te facio. Si tanti sapientia penderetur quanti pecunia, nemo auro egeret. Pluris apud nos fit aurum sine sapientia, quàm sapientia sine auro. Hoc pluris te habeo, quod doctus sis. Minoris hic fies, quod mentiri minime calleas. Hic multi fiunt, qui nigrum in candidum uertunt. Hoc mihi pluris es quod literas amas. Tanti apud omnes eris, quantum possidebis. Tanti ubiq; habebis, quantum habebis. Non quanti habearis, sed quanti sis interest. Tanti Christianum meis facio, quanti alium neminem. Inueniuntur et alia uerba cum his genitiuis & ablatiuis, quæ natura sua non significant emptionem, aut aliquid simile. Petrus osæ  
lum

QUIORVM FORMVLAE. 61

lum puellæ scutato emit. Sit illi faustum, nolim ego  
 basiare tanti. Quanti luditis? Quanti cœnastis?  
 Quosdã sexcentis sestertijs cœnasse legimus, at Gal  
 li se penumero liardo cœnitãt. Faustus quanti docet?  
 Paruo. At pluris quàm Delius. Quanti igitur? Un  
 de viginti aureis. Non discam mentiri tãti. Phœdria  
 apud Terentiũ & rem & seipsum perdidit. At no  
 lim ego amare tanti. Quidam magno dormiunt. De  
 mosthenes pluris siluit quàm alij loquebãtur. Aequi  
 boniq; consulas oro. Est & aliud uerborum genus  
 quæ accusatiuũ unã cum genitiuo aut ablatiuo casum  
 exigunt, quæ sunt accuso, id est, obijcio crimen, aut  
 culpo etiam absentem. Incuso, inculpo extra iudi  
 cium. Arguo, reprehendo. In simulo, impingo suspi  
 tionem culpæ. Postulo, in ius uoco. Accerso, defe  
 ro. Damno, condemno, pronuncio illum esse in cul  
 pa. Admoneo, cõmonefacio. Ch. Exempli causa.

ACCUSANDI FOR.

A. Sãpio accusatus est ambitus, aut de ambitu. Ar  
 guis me impudẽtiæ ipse impudentissimus. Lepidus  
 postulatus est repetundarum. Accersitus est capitis.  
 Si hominem in simulas auaritiæ, male audies. Ad  
 moneto eum pristinae fortunæ. Mortales ipso uocabu  
 lo suæ cõditionis admonentur. Commonefacito Le  
 pidum promissi. Sunt pleraq; quæ accusatiuum ge  
 minum admittant. Doceo te literas. Exorat te ueniã.  
 Dedocebo te istos mores. Poposcit me mutuũ. Hic

H S eius

FAMILIARIVM COLLOQ

eius rei mihi admonendus es, quod in his secundum  
 accusatiuū etiam passiuā obtinent, in alijs genitiuus  
 manet. A me doctus es literas. Postulant me furti,  
 postolor furti. Accusas me sacrilegij. Accusor sacrile  
 gij. A. Scio te nondū expletū. Scio animo tuo non  
 dum esse satisfactū. Quando enim tantus elegantia  
 rum heluo satiatur? Sed conuiuis parcendū est, quos  
 hæc non omnes perinde delectant. A cœna, inter de  
 ambulandū, id quod rationi deerit, persoluemus, nisi  
 si quid aliud censes. Ch. Fiat ex tua sententia. Aga  
 mus gratias benignitati diuinæ, deinde paulisper de  
 ambulaturi. Midas. Pulchre dicis. Nihil enim hoc  
 uespertino cœlo amœnius, nihil salubrius. Ch. Per  
 tre ades dum. Tolle suo quæq; ordine, ac uinū cya  
 this infunde. P. Iubēs ne agi gratias? Ch. Age.  
 P. Græcæ mauius an Latine? Ch. Vtroq; modo.  
 P. Gratias agimus tibi pater cœlestis, qui tua ineffi  
 fabili potentia condidisti omnia, tua inscrutabili sa  
 pientia gubernas uniuersa, tua inexhausta bonitate  
 eūctā pascis ac uegetas, largire filijs tuis, ut aliquan  
 do tecum bibant in regno tuo nectar illud immortali  
 litatis, quod promisisti ac preparasti uere diligentib  
 us te. Per Iesum Christum, Amen.

Ch. Dic eadē Græcæ, ne cæteri quid dicas intelligāt.

Εὐχαριστοῦμεν σοι πάτερ οὐράνιε, ὁ τῆ ἀρρήτων  
 δωάμε κτίσας τὰ πάντα, ὁ τῆ ἀνεξέρουνητος  
 σου σοφία κυβερνῶν ἀπαξάπαντα, ὁ τῆ ἀνεξέρου

πλήτω σὺ χριστότητι, ἕκαστα τρεφόμενος τε καὶ  
 αὐξάνων χαρίζε τοῖς ἡοῖς σὺ, τὸ μετὰ σὺ ποτὶ  
 πῖϋρ, τὸ φθιᾶθυνασῖα, νέκταρ, ὃ ὑπέχεσθαι ἢ ἡτοί  
 μασαε, πῖς ἀλκθῶε ἀγαπῶσί σε, δια ἰησὺ χρισ  
 τῷ τοῦ ἡοῦ σὺ, τοῦ κυρίε ὑμῶν, τοῦ μετὰ σὺ ζῶν  
 τοε καὶ βασιλεύοντοε, ὃ ἐνότητι τοῦ πνεύμαε  
 τοε ἀγίε, εἰε τοῦε αἰῶναε. Αμῶ.

C. Habeo uobis hospites candidissimi gratiam, qui  
 ad hoc conuiuiole uenire dignati sitis. Oro equi,  
 boniq; consulatis. Con. Nos uicissim gratias re  
 ferre uolumus, non tantum habere. Proinde ne mul  
 tis agantur gratiae. Quin potius surgamus & ex  
 patiemur. A. Ducamus nobiscum uirgines, nam eo  
 minus molesta erit deambulatio. Ch. Recte sentis.  
 Vtrum maui nostris in hortis more poetico reptat  
 re, an foris ad amnem expatiari? A. Habent quide  
 horti tui amoenitatis permultu, uerum eam uolupta  
 tem matutinis deambulationibus serua. At sole in  
 clinato, anniū aspectus oculos mirum in modum iu  
 uat. Ch. Antecede igitur Augustine, ut poeta dignu  
 est, ego latus tuum claudam. A. Bone deus quanti  
 tum comitu, quantam pompam nobiscum ducimus.  
 Dicit non potest Christiane, quantum mihi placeam.  
 Satrapes mihi uideor. Ch. Age nunc promissum  
 presta. Solue quod recepisti. A. Quid me potissimu  
 uis dicere? Ch. Ego quondā in Pollionis oratione  
 cum multa, tu illud in primis solebā admirari, quod  
 tam

## FAMILIARIVM COLLO/

tam facile, tam crebro, tam uenuste orationem uerteret, quæ res non modo singularis ingenij, uerum etiam multi usus mihi uidetur. A. Haud iniuria istud in Pollione admiratus es Christiane. Ille enim tum hac in re diuinam quandam uim obtinet, quam quidem illi cum ingenij dexteritate quadam, tum plurimo & dicendi & legendi & scribendi usu contigisse opinor, potius quam ratione aliqua, aut præceptione. Ch. At ego rationem aliquam istius rei si fieri potest expecto. A. Ita ut dixi, res habet. Verum quia te tantopere uideo uelle, quod potero morem geram, easque ratiunculas, quas in Pollionis orationibus mihi uisus sum animaduertere, ut potero, reddam. Ch. Age percupio.

### BREVIS DE COPIA PRAECEPTIO.

AUG. Accingor. Principio res ipsa puris, electis de Latinis uerbis efferenda est, quod ipsum posse, non mediocris artificis est. Sunt enim permulti, qui nescio quo modo copiam & uarietatem orationis affectant, quum ne semel quidem rem possint apte explicare. Isti tanquam semel balbutisse sit parum, balbutiem suam alijs atque alijs modis reddunt balbionem, tanquam ipsi secum certamen susceperint, ut quam barbarissime dici possit, dicant. Itaque inepti synonyma quaedam congerunt, adeo interdum inter se dissidentia, ut ipsa mirentur, quo pacto conuenerint.

Quid enim



QVIORVM FORMVLAE. 63

Quid enim absurdius quàm hominem pannosum, cui ne una quidem, quam sine pudore possit induere, sit uestis, cum tamen subinde suos pānos mutare ac mendicitatem suam pro opibus ostentare? At nihilominus ridiculi uidentur isti uarietatis affectatores, qui quum barbare semel dixerint, repetunt idem multo barbarius, demū iterū atq; iterum indoctius. Hoc est, non oratione, sed solœcismis abundare. In primis igitur, ut dixi, res ipsa aptis atq; electis uerbis est explicanda. Deinde mutatorijs uerbis utendum, si qua, quæ idem efficiant, reperiantur. reperiuntur enim permulta. Demum ubi propria deficient, translaticijs erit utendum, si modo uerecūda sit translatio. Ea quoq; ubi deerunt, si per actiua dixisti, ad passiuā reuertendum erit, quæ nobis totidem orationes reddunt, quot ex actiuis constabant. Postea uerba, si licbit, aut in nomina uerbalia, aut in participia cōmutabimus. Postremo ubi modo ad uerbia in nomina, modo nomina in alias, atq; alias partibus cōmutauerimus, per contrarium dicemus: aut affirmatiuam orationem in negatiuam cōmutabimus, aut retrorsum, aut certe, quod pronunciatue dictum per interrogationem efferemus. Nunc exempli causa hanc sententiam sumamus.

LITERAE TVAE MAGNOPERE  
ME DELECTARVNT.

Literæ

FAMILIARIVM COLLO

LITERAE TVAE.

Epistola, epistolium, scripta, scheda, litera.

MAGNO PERE.

Mirum in modum, miris modis, maiore in modum,  
Mirandum in modum, supra modum, plurimum,  
non mediocriter, summopere, maximopere.

ME.

Animum meum, pectus meum, oculos meos, cor meum,  
ERASMV M.

DELECTARVNT.

Voluptate affecerunt, recreauerunt, exhiberunt, uoluptati fuerunt, oblectarunt, uoluptate perfuderunt, mellitissime fuerunt, iucandissime &c. Habes materiam, tuum erit componere. Experiamur igitur, faciamus periculum. CHR. Tuae literae magnopere me delectarunt. Tua epistola mirifice nos exhilarauit.

AVG. Verte actiuum in passiuum, alia erit facies. Ut, dici non possit, quam tuis sim scriptis exhilaratus.

Item per alia uerba idem efficientia.

Tuis ex literis incredibile cepi uoluptatem. Ex epistola celsitudinis tuae plurimum uoluptatis accepi. Non mediocre leticiam tua mihi scripta attulerunt. Gaudio tua me scripta, quantum eram, perfuderunt. Hic non ita liceret mutare in passiuum, nisi in illo postremo, perfusus gaudio, quod usitate dicitur. Capiebatur a me uoluptas, allatum est gaudium, non perinde usitate dixeris.

PER AFFICIO.

Singulari

QVIORVM FORMVLAE. 64

Singulari uoluptate literæ tuæ me affecerunt.

MUTA IN PASSIUM.

Tuis scriptis incredibili sum affectus uoluptate. Nō parum gaudiorum tuum nobis epistolium peperit.

PER SVM ET NOMINA

ADIECTIVA.

Tuæ mihi literæ multis modis iucundissima fuerūt.

Fuit tua illa epistola sanè quàm gratissima.

PER NOMINA SUBSTANTIVA.

Ineffabili uoluptati tua nobis epistola fuit.

Incredibili iucunditati fuerunt tuæ literæ.

COMMUTA IN NEGATIONEM.

Tua scripta nō mediocri lætitiæ fuere. Nihil in uirtutibus tuis literis accidit iucundius. Quanquā hac ratione aliquoties iam usi sumus, quæ nō est negligenter prætereunda. Nam quoties multum, plurimum, singulariter significare uolumus, per contrariū uerbum idem efficiemus. Ut, uehemēter te amat Henricus. Haud uulgariter te amat. Multū me iuuat uinū, haud parum iuuat. Est uir singulari ingenio. Est uir ingenio non uulgari. Est homo doctrina admiranda. Est homo non contemnenda doctrina. Thomas est summo apud suos loco natus. Non infimo loco natus. Augustinus eloquentissimus fuit. Non ineptus eloquens fuit. Carneades orator fuit nobilis. Non ignobilis, nō obscurus. Et id genus similia, quæ nunquam non usu ueniunt. Sed admonuisse rem clarissimam

simam

FAMILIARIUM COLLO-

simam satis est. Nec te lateat, bisariam nos huius  
modi orationum genere uti, modestia causa, præser-  
tim si de nobis ipsis loquamur. Tum etiam amplifi-  
candi gratia. Nam non ingratum, pro ualde grato.  
Non uulgariter, pro singulariter, recte & uenu-  
ste dicimus.

MODESTIAE CAUSA:

Ego literis meis nonnullam doctrinae sum opinio-  
nem consequutus. Semper curavi, ut in literaria glo-  
ria non postremas partes tenerem.

De amplificatione superiora sunt exempla, nunc  
ad nostra reuertamur.

Nihil tua epistola unquam euenit gratius. Nulla res  
maiori unquam uoluptati fuit, quam tua scripta.

Nulla unquam ex re tantum cepi uoluptatis, quam  
tum ex tuis literis amantissimis.

Hoc modo singulae orationes superiores poterunt  
uariari per interrogationem.

Quid tuis literis in uita iucundius esse potuit? Quid  
epistola illa tua nobis euenit dulcius? Quid ita ob-  
lectauit unquam, ut proximæ tuæ literæ?

Hoc modo rursus singulas ferè orationes uariare  
CHR. Quid deinde fiet? (licebit.

AVG. Iam paulo liberius totam orationem uerte-  
mus, ut unam dictionem pluribus uerbis circumlo-

CHR. Dic exempli causa. (quamur.

AVG. Quod modo per nomen incredibile, modo  
per aduerbium

QVIORVM FORMVLÆ. 65

per aduerbium incredibiliter dictum erit, unam di-  
ctionem aliquot uerbis commutabimus. Literis con-  
sequi nequeam, quantum tuis literis sim delecta-  
tus. Et mihi scriptu, & tibi creditu perdifficile fu-  
erit, quantæ iocunditati tua mihi scripta fuerunt.  
Euplicare prorsum nequeo, q̄ sim tuis literis gauisus.  
Et item in infinitum.

Rursum alio pacto.

Nam hactenus & per negationem & per interro-  
gationē, postremo p̄ infinitas orationes uariauimus.  
Nunc per subiunctiuas siue conditionales uariabi-  
mus, hoc modo:

Moriar si unquam quicquā fuit tuis literis, aut opta-  
tius aut dulcius.

Peream, si ulla res maiori uoluptati fuit, quā tuæ  
literæ. Ita me deus amet, ut nihil in uita tuis literis  
acādit iucundius. Et item alia multa in hunc modum  
excogitare licebit.

CHR. Quid deinde?

AVG. Nunc ad translationes, similitudines &  
exempla fugiendum est.

TRANSLATIO EST IN HIS.

Accepi literas tuas, quæ mellitæ fuerunt. Nil ni i me-  
ræ delitiæ tua mihi scripta uidentur. Mera uoluptas  
sunt tuæ literæ. Et huiusmodi plurima. Sed cauendi-  
dum, ne obsoletis, aut durioribus translationibus  
utamur, quale est illud: Iuppiter hybernas cana niuē  
I            conspuit

FAMILIARIVM COLLO

conspuit alpes. Et quale est illud: Cœnatorum scriptorum me suauissimis epulis refecit.

COMPARATIO A SIMILI.

Tua scripta omni uel ambrosia uel nectare suauiora fuere. Literæ tuæ quouis melle mihi fuere dulciores. Epistola humanitatis tuæ & siliquam omnē, et mel Atticum & saccarū omne, nectar ambrosiamq; deorum longe superauit. Hic quicquid dulcedine nobilitatum est, in medium adduci potest.

AB EXEMPLO.

Nunquam adducar ut credam Hero Leandri sui literas, aut maiore uoluptate, aut pluribus osculis accepisse, quàm tuas accepi. Vix crediderim, aut Scipionem euersa Carthagine, aut Paulū Aemilium, capto Perseo, magnificentiorem egisse triumphum, quàm ego, simul ac suauissima tua scripta tuus mihi tabellarius reddidit. Huiusmodi ex fabulis, tū ex historijs infinita possunt inueniri. E physica uero sumuntur rerum similitudines, quarum quàm plurimarum naturas memoriter tenere necesse est. Nunc si libet in alia sententia tentemus.

NVNQVAM DVM VIVAM,

tui ero immemor.

Semper dum uiuam tui meminero.

Quoad uiuam, nunquam me tui capiet obliuio.

Prius uiuere desinam, quàm tui meminisse.

PER

QUIORVM FORMVLAE 66

PER COMPARATIONES.

*Si umbram corpus poterit effugere, & hic animus  
tui quibit obliuisci.*

*Tui memoriam, uel Lethæus quidem amnis pote-  
rit abolere.*

PRAETEREA PER IMPOSSIBI-  
le, aut more poëtico per contraria.

*Dum iuga montis aper, fluuios dum piscis amabit.*

*Ante leues ergo &c. quæ non est multi negocij exco-  
gitare. Verum ne immodici uideamur, his in præ-  
sentia contenti simus.*

*Aliàs si uoles, copiosius hac de re colloquemur.*

CHR. Ego te Augustine iam planè exhaustum præ-  
tabam. Sed tu præter expectationem nouum the-  
saurum indicasti, quem si pergas explicare, nox an-  
te occupauerit, quàm tibi eadem de re desint uerba.

AVG. Si ego hoc mediocri & doctrina & ingenio  
præsto, quantum Ciceronem ipsum ualuisse credis,  
qui cum Roscio histrione certasse legitur.

*Sed sol nos relinquit. Humescit cœlum, præstat imi-  
tari auiculas, te cœtoq; ac lecto nos condere.*

*Proinde uale mi Christiane suaussime in crastinũ.*

CHR. Tu itidem bene ualeas Augustine omnium  
doctissime.

CONVIVIUM RELIGIOSVM.

*Eusebius, Timotheus, Theophilus, Chry-  
soglottus, Vranius.*

## FAMILIARIVM COLLOQVIVM

**E.** Quum omnia nunc uernent ac rideant in agris, demiror esse, qui fumosis urbibus delectentur. **T.** Nō omnes capiuntur aspectu florum aut pratorum uernantium, aut fontium amniūque. Aut si capiuntur, est aliud quod magis iuuet. Ita uoluptas uoluptate, ueluti clauus clauo pellitur. **E.** Tu mihi fortasse foeneratores narras, aut his simillimos negociatores auaros. **T.** Istos quidem, sed non solos o bone, imō cum his innumeros alios, usque ad ipsos sacerdotes ac monachos, qui ferē quæstus gratia malunt in urbibus, ijsq; frequentissimis uersari, dogma sequuti, non Pythagoricum, aut Platonium, sed cæci cuiusquam mendici, cui dulce erat premi turbis hominum, quod diceret illic esse quæstum, ubi esset populus. **E.** Valeant cæci, cum suo questu. Nos philosophi sumus. **T.** Et Socrates philosophus urbes præferebat agris, quod esset discendi cupidus, & urbes haberent unde disceret, in agris esse quidem arbores & hortos, fontes & amnes, qui pascere oculos, cæterum nihil loquerentur, ac proinde nihil docerent. **E.** Est nonnihil quod dixit Socrates, si solus obambules in agris. Quanquam mea sententia non est mutata rerum natura, sed undiquaque loquax est, multaq; docet contemplantem, si nacta fuerit hominem attentum ac doctilem. Quid aliud clamat illa tam amœna naturæ uernantis facies, quàm opificis dei sapiens



QVIORVM FORMVLAE. 67

Sapientiam bonitati parem. Sed Socrates in eo se-  
cessu, quam multa docet Phædrum suum, ac uicis-  
sim ab eo discit. T. Si tales adessent aliquot, ni-  
hil esse posset amœnius rusticatione. E. Libet igi-  
tur huius rei periculum facere? Est mihi prædiolum  
suburbanum, non amplum, sed nitide cultum. Eò  
uos in crastinum diem ad prandium uoco. T. Plur-  
res sumus. Exederemus totum prædium tuum.

E. Imò totum conuiuium apponetur herbaceum, ex  
dapibus, ut inquit Flaccus, inemptis apparatus. Vi-  
num ipse locus suppeditat, pepones, melones, ficos,  
pira, mala, nuces, ipsæ penè arbores porrigunt, quæ  
admodum fit in insulis fortunatis, si Luciano credi-  
mus. Accedet fortassis è corte gallina. T. Age,  
non recusamus. E. At suam quisque umbram se-  
cum adducat quam uolet. Ita quum sitis quatuor, et  
quabimus numerum musarum. T. Fiet. E. Vnũ  
illud uos præmonitos uolo, sibi quisq; condimentum  
suum adferet. Ego cibos duntaxat apponam.

T. Quod condimentum narras, piper, an saccar-  
um? E. Imò aliud uilius, sed suauius. T. Quod/  
nam? E. Famem. Eam dabit hodie cœna tenuis,  
cras acuet stomachum ambulatiuncula. Et hoc quos-  
que commodi rusculo meo debebitur. Verũ ad quam  
horã libet prandere? T. Ad decimã, priusquam in-  
ualescat æstus solis. E. Curabitur. Bonæ fidei est,  
quod uenistis, sed bis gratum est, quod uenistis ma-

FAMILIARIUM COLLO

tura unā cū umbris uestris lōge gratissimis. Sunt enim quidā inciuliter ciuiles, q̄ cōuiuatorē mora sua torquēt. T. Eō maturius uenimus, ut eſet ociū luſtrādi, uisendiq; regiā istā tuam, quam audimus undiq; miris delitijs uariā, nusq̄ nō testari domini sui ingenū. E. Regiā spectabitis tali dignā regi. Mihi certe nidulus est, quauis regia gratior. Et si regnat q̄ libere uiuit ex animi sui ſententia, hic planē regno. Sēd pręstat, opinor, interim dū culinae pręfecta parat holusculū, et adhuc moderatus est solus calor, uisere hortos nostros. Ti. Est alius pręter hūc? Nā hic sanē mire cultus blandissimo aspectu statim ingredientes salutatur, & comiter excipit. E. Hinc igitur decerpatur sibi quisq; flosculos ac frondes aliquot, ne qd̄ offendat domus pedor. Nō idem odor æque gratus omnibus. Quare sibi quisq; deligat. Ne parate. Nam quicq̄ hic nascitur penē publicū esse patior. Neq; enim unquam clauditur ostiū huius uestibuli, nisi noctu. T. En tibi in ostio Petrus. E. Hūc ego malo ianitorē quā Mercurios, Centauros, aliaq; portēta, quę quidam pingūt in foribus suis. T. Istuc homine Christiano dignius est. E. Nec mutum habeo ianitorem, tribus linguis alloquitur ingredientem. T. Quid loquitur? E. Quin ipse legis? T. Interuallum aliquanto longius est, quā ut p̄spectus oculorū aſequatur. E. En tibi perspicillū, q̄ te uel lynceū reddet. T. Latina uideo. Si uis ad uitam ingredi, serua mandata.

Matth.

QUIORVM FORMVLAE. 68

Matth. cap. 9. E. Nūc lege Græca. T. Græca uis-  
 deo quidē. At illa non uident me. Quare lampadem  
 hanc trado Theophilo, qui nunquā nō cantillat Græ-  
 ca. The. μετ' υμῶν ἵσταμαι, καὶ ἐπιστρέψατε. πρῶτον  
 τῷ ψίτω. Chrysoglottus. Hebræa mihi sumam  
 :יהוה יהוה בן-בנים An uobis uidetur in-  
 comis ianitor, q̄ statim monet, ut auertamur à uitijs,  
 & cōuertamus nos ad studiū pietatis. Deinde uitā  
 nō contingere ex opibus Mosaicis, sed p̄ fidem euan-  
 gelicā. Postremo seruandis Euāgelicis præceptis, iter  
 esse ad immortalem uitā? T. Et ecce mox ad dextrā  
 ingressus ostendit sacellum perquā elegās. In altari  
 IESVS CHRISTVS suspiciens in cœlū ad patrē et  
 spiritū sanctū illinc p̄spicientes, atq; eodem dextrā  
 porrigens, leua uelut inuitat, & allectat prætereun-  
 tem. E. Nec is elinguis nos excipit: uides Latina.  
 Ego sum uia, ueritas, & uita. Græca, Εγώ εἰμι τὸ  
 ἄλφα & τὸ ω. Hebraice א-ל-פ-הו-ו-י ש-מ-ע-ו-י-הו-ו-י  
 :אלפא וטו. Ti. Leto nimirū omine  
 nos salutauit dominus Iesus. E. Sed ne uideamur inā-  
 uiles, fortassis par est, ut illum resalutemus, prece-  
 murq; , ut quando ex nobis ipsi nihil possumus, ille  
 sua inestimabili bonitate nō sinat nos unquā aber-  
 rare à uia salutis, sed abiectis umbris Iudaicis, & hu-  
 ius mundi præstigijs, per ueritatem Euangelicā per-  
 ducat nos ad uitam æternā, hoc ipse per se trahat nos  
 ad se. T. Acquisimum est, & ipsa loci species



FAMILIARIVM COLLOQVIVM

inuitat ad precandū. E. Multos hospites alliciens huius horti amœnitas, sed ita ferè apud omnes inuoluit consuetudo, ut nemo prætereat Iesum insalutatum. Hunc ego uice fidiſſimi Priapi, custodem posui: Nō solum horti mei, sed omnium quæ possideo, deniq; corporis pariter atq; animi. Adest ut uideatis fonticulus, saluberrimis aquis non in amœne scatēs, uicunq; representans unicum illum fontem, qui cœlesti lacice refocillat omnes laborantes, & oneratos, & ad quem anhelat anima delassata malis huius mundi, non aliter quàm iuxta psalmistam, Ceruus æstiuans sui, gustatis serpentiū carnibus. Hunc gratis haurire licet, quisquis sitit. Nonnulli & religionis gratia sese aspergunt. Quidam etiam bibunt, nō sitis, sed religionis causa. Video uos inuitos auelli ab hoc loco. Sed interim hora monet, ut uisamus hunc cultiorē hortum, quem in quadrū cingunt muri regiae meae. Si quid erit uisendum intus, à prandeo spectabitis, quū solis æstus nos, ueluti cochleas, domi cohibebit horis aliquot. T. Papæ Epicureos hortos mihi uidere uideor. E. Totus hic locus uoluptati dicatus est, sed honeste, pascendis oculis, recreandis naribus, reficiendis animis. Nihil hic nascitur præter odoratas herbas, nec eas quaslibet, sed eximias dūtaxat, unūquodq; genus suas habet aras. T. Nec herbae mutæ sunt apud te, quantum uideo. E. Probe dicis, alij domos habent opulentas, ego loquacissimam.

CVIORVM FORMVLAE. 69

loquacissimam habeo, ne quando solus uideri possim, id magis etiam dices ubi totam uideris. Ut herbae sunt uelut in turmas digestae; Ita singulae turmae, singulae habent uexilla, cum inscriptione. Velut Amaracus hic: Abstine, inquit, sus, non tibi spiro, Quum enim sit suauissima fragrantia, sues tamen hoc odore uehementer offenduntur. Itidem singula genera suos habent titulos, aliquid indicantes, quod ad peculiarem eius herbae uim pertinet.

Ti. Nihil adhuc uidi hoc fonticulo festiuus, qui medius uelut arridet herbis omnibus, ac refrigerium pollicetur aduersus aestum. Sed alucolus hic, qui tanta gratia totam aquam ostendit oculis hominum, hinc atque hinc aequis spatijs hortum dirimens, in quo sese utrinque herbae, uelut in speculo contemplari gestiunt, num marmoreus est?

Eus. Bona uerba, unde huc marmor? e contusis cementis factitium marmor est, coloris candor additus est incrustamento.

Ti. Quo tandem sese condit, tam amabilis riuus?

Eus. Vide inciuitatem humanam. Posteaque hic satis exhilarauit oculos nostros, proluit culinam, eiusque sordes secum defert in cloacam. Ti. Crudele, ita me deus bene amet. E. Crudele, ni in hunc usum parasset aeterni numinis benignitas. Tum crudeles sumus, quum fontem diuinae scripturae, longe hoc amoeniorem, recreadis simul ac purgandis animis nostris

I S datum



FAMILIARIVM COLLO/

datum, conspurcamus uitijs nostris, prauisq; cupiditatibus, abutentes tam ineffabili dono dei. Nam hac aqua non abutimur, si partimur in uarios usus, in quos illā dedit is, qui nihil non affatim suppeditat uisibus humanis. Ti. Verrissima sunt quæ narras: sed quur tibi uirent etiam horti septa? E. Ne quid hic non uireat. Quidam rubra malunt, quod is color additus uirentibus, gratiam adiungat. Hic mihi magis arridet, ut est sua cuiq; sententia, etiā in hortis. Ti. Sed horti per se amœnißimi, iucunditatem propemodum obscurāt ambulacra tria. E. In his uel studeo, uel obambulo, solus, aut cū amiculo confabulans, uel cibum capio, si uidetur. Ti. Columnæ paribus interuallis sustinentes ædificiū innitēs, miraq; colorum uarietate blandientes, sunt ne marmoreæ? E. Ex eodem marmore, quo factus est hic alueus. Ti. Lepida profecto impostura. Vel deierassem esse marmor. Euf. Quare caue ne uel credas, uel deieres quicquam temere. Non raro fallit species. Quod opibus deest, arte sarcimus. Ti. Non tibi sat erat hortus, tam nitidus, tam exaltus, nisi pingeres insuper alios hortos? Euf. Non capiebat omnes herbarum species unus hortus. Præterea bis delectamur, quum pictum florem, cum uiuo decertantem uidemus, et in altero miramur artificium naturæ, in altero pictoris ingenium. In utroque benignitatem dei, qui in usum nostræ largitur

QUIORVM FORMVLAE. 70

largitur hæc omnia, nulla in re non mirabilis, pariter & amabilis. Postremo non semper uiret hortus, non semper uiuunt flosculi. Hic hortus etiam media bruma uiret, & adblanditur.

Tim. At non spirat. Euf. Sed rursus non eget cultura. Tim. Tantum pascit oculos.

Euf. Verum, sed hoc perpetuo facit.

Tim. Habet suum & pictura senium.

Euf. Habet, nobis tamen est uiuacior, & illi frere gratiam addit ætas, quam nobis detrahit.

Tim. Utinam hic uanus es.

Euf. In hoc ambulacro quod spectat occidentem, sole fruor oriente. In hoc quod spectat orientem, a prior interdum. In hoc quod spectat Austrum, sed patet ad septentrionem, recreor ab æstu solis. Obambulabimus si uidetur, quo spectetis propius.

En uernat ipsum etiam solum. Habent enim & tessella colorum gratiam, & flosculis pictis adblanduntur. Hoc nemus quod uidetis hoc toto pariete depictum, exhibet mihi uarium spectaculum. Primum quod uidetis arbores, tot uidetis arborum genera, singulis ad natiuam imaginem non pessime expressis. Quot cernitis aues, tot uidetis auium species, præcipue si quæ sint rariores, & insigni re quapiam nobiles.

Nam anseres, gallinas & anates quid attinet pingere. Inferne sunt quadrupedum species, aut earum auium, quæ uiuunt humi more quadrupedum.

Ti. Mi

FAMILIARIVM COLLO-

Ti. Mira uarietas. Nec quicquam est ociosum. Nihil est, quod nō aut agat, aut loquatur aliqd. Quid nobis narrat noctua, penē latitans sub frondibus?

E. Attice loquitur Attica. σοφῶν ἐστὶν οὐ πᾶσι σὺν ἴπτημι. Iubet nos consulto agere, quod non omnibus feliciter cedit inconsulta temeritas. Hic aquila decerpit leporem, frustra obtestante scarabeo. Astat scarabeo Trochilus, & ipse capitalis inimicus aquilæ.

Ti. Hæc hirundo quid gerit ore?

E. Herbam Chelidonium. Nam hac restituit pullis exoculatis uisum. Agnoscitis herbæ figuram? Quod nam hoc nouum lacertæ genus?

E. Non est lacerta, sed chamæleon. Ti. Est hic ille longo nomine celebratus chamæleon, belluam esse credidi leone maiorem, quæ uincit etiã uocabulo.

E. Hic est ille semper hians, & semper ieiunus chamæleon. Hæc arbor est caprificus, apud quã solam sæuit, aliàs innocuus. Nam uenenū habet, ne cōtemnas hiantem bestiolam.

Ti. At non mutat colorem. E. Verū, quia non mutat locum, ubi mutarit locum, uidebis & colorem alium.

Tim. Quid hic sibi uult tibicen?

E. Nōne uides in proximo chamelum saltantem?

Ti. Video nouum spectaculum, chamelus cinædus est, & simius choraules.

Eu. Sed his singulatim ac per ocium contemplandis aliàs dabitur, uel totū triduum. Nunc satis erit, ueluti per transennam uis disse. In hac regione depictum est ad natiuam effigiem.

giem.



QVIORVM FORMVLAE. >I

giem, quicquid est insigniū herbarum, quodq; iure  
 miremini. Hic uenena quantumuis presentanea, tur  
 to non solum spectantur, uerumetiā contrectantur.  
 Ti. En scorpius, rarum in hisce regionibus malum,  
 sed frequens Italia. Quanquam color mihi parum  
 respondere uidetur in pictura. Euf. Qui sic?  
 T. Quia magis nigrant apud Italos, iste pallidior  
 est. Euf. At nō agnoscis herbā in cuius foliū incidit?  
 Ti. Non satis. Euf. Nec mirum. Nec enim nasci-  
 tur in hortis nostratibus. Aconitum est. Et ueneno  
 tanta uis est, ut scorpius ad huius contactum stupe-  
 scat palleatq; seseq; uinci patiatur. Sed offensus  
 ueneno, à ueneno petet remediū. Videtis in propin-  
 quo utrūq; genus hellebori. Si scorpius sese potuerit  
 explicare à folio aconiti, & album helleborum cōtin-  
 gere, recipiet pristinum uigorem, diuersi ueneni cō-  
 tactu soluente torporem. Ti. Actum est igitur de  
 isto scorpio. Nam is se nunq̄ explicabit ab aconiti fo-  
 lio. Etiam loquuntur hic scorpj? Euf. Et quidem  
 Græcæ. Ti. Quid ait? Euf. Εὐπε θεὸς τὸν ἀ-  
 λιτῆρα. Hic præter herbas uidetis omne serpē-  
 tium genus. En uobis basiliscus, oculis igneis, ipsis  
 etiā nocentissimis uenenis formidabilis. T. Et is lo-  
 quitur aliquid. Euf. Oderunt, inquit, dū metuant.  
 T. Planè regia uox. Euf. Imò nihil minus regiū,  
 sed tyrannicā uox est. Hic pugnat lacerta cū uipera.  
 Hic dipsas insidiatur tecta putamine oui Struthioæ  
 meli.

FAMILIARIVM COLLO-

meli. Hic uidetis politiā totam formicarū, ad quarū  
 imitationē nos uocat Hebræus ille sapiens, atq; etiā  
 Flaccus noster. Hic uidetis formicas Indicas, quæ au-  
 rum egerunt ac seruant. T. Deum immortalem, cui  
 possit obrepere tedium, in hoc theatro uersanti.  
 Euf. Alias, inquam, licēbit, uel ad satietatē usq; spe-  
 ctare. Nunc procul tantum spectate tertium parietē.  
 Is habet lacus, amnes, & maria, & in his quicquid  
 est insignium piscium. Hic est Nilus, in quo Delphi-  
 num illum uidetis hominum amatorem, cū crocodi-  
 lo depugnantē, quo nō alius hostis homini capitali-  
 or. In ripis ac littoribus uidetis ea quæ sunt ἀμφί-  
 βια, ut cancri, phocæ, siber. Hic est polypus capti-  
 tor, captus à concha. T. Quid loquitur ῥαίσιων  
 αἰσθητικόν. Mire pictor fecit aquam pellucidam. Aut  
 hoc erat illi faciendū, aut nobis opus erat alijs ocu-  
 lis. In proximo est alter polypus, summa æquoris  
 aqua uelificans, liburnicarū gaudens imagine. Vide-  
 tis torpedinē prostratā in harena cōcolori, quam hic  
 tuto, uel manu cōtigeris. Sed alio properandum est.  
 Hæc pascunt oculos, at uentrē non explent, propet-  
 remus ad reliqua. Ti. Etiam ne amplius? E. Mox  
 uidebitis, quid nobis præbeat posticum. Hic uidetis  
 hortum satis spatiosum, in duas diuisum partes, in al-  
 tera est quicquid est herbarū esculentarū, in qua re-  
 gnant uxor & familia mea, in altera, quicquid est  
 medicarum, præsertim insigniū. Ad leuā est pratum  
 liberū

QVIORVM FORMVLAE. 72

liberū, præter uirorē graminū nihil habens, septum  
est sepe perpetua, è spinis implexis contexta. illic  
nōnunquam uel ambulo uel lusito cum sodalibus. Ad  
dextrā est pomariū. in quo quum erit ocium, uidebi-  
tis plurimas arbores peregrinas, quas paulatim do-  
cto nostro cœlo assuescere. Ti. Papæ, nē tu uincis  
uel ipsum Alcinoum. Euf. Hic auarium est in con-  
finio adherens ambulacro superiori, quod uidebi-  
tis à prandio, uidebitis formas uarias, uariâsque  
linguas audietis. Nec minus uaria sunt ingenia. In-  
ter quasdam cognatio est, & mutuus amor, inter nō  
nullas simultas irreconciliabilis. Sunt autem omnes  
adeo cicures ac mansuetæ, ut si quando cœnem illic  
aperta fenestra, deuolent in mensam, cibumq; uel è  
manibus capiant. Si quando ingredior in ponticulo,  
quē uidetis, fabulās cū amico, assident, au, cultant,  
insidēt humeris aut brachijs, adeo dedidicerūt time-  
re, quia sentiunt neminē lædere. In extremo poma-  
rio apum regnum est. Nec illud sanè spectaculū in-  
amcēnū. In præsentia non sinam uos amplius cōtem-  
plari, quo sit quod uos posthac reuocet, tanq̄ ad no-  
uum spectaculū. A prandio cætera uobis ostendam.  
Puer. Vxor & famula clamitant corrumpi prandiū.  
E. Iubeto illas esse æquanimis. Nos iā accurremus.  
Lauemus amici, ut puris manibus & animis ad men-  
sam accedamus. Etenim si ethnicis quoq; religiosa  
erat mensa, quanto magis oportet esse sacram Chri-  
stianis,

FAMILIARIVM COLLOQVIVM

stianis, quibus habet imaginem quandam illius sacrosancti conuiuij, quod dominus Iesus postremum egit cum suis discipulis. Et ob id receptum est abluere manus, ut si quid odij, liuoris, aut turpitudinis alicui forsitan resideat in animo, id eijciat anteq̄ accedat ad cibum capiendum. Sic enim opinor & corpori salubriores esse cibos, si sumantur animo defecato. Tim. Istud uerissimum esse credimus. E. Quoniam hoc exemplum nobis ab ipso Christo traditum est, ut ab hymno cibum auspicaremur, nam id arbitror, quod frequenter in Euangelio legimus illū benedixisse, aut gratias egisse patri priusquam cibum frangeret, & rursus hymno finiremus. Si uidetur recitabo uobis hymnum, quem diuus Chrysostomus miris laudibus prædicat in homilia quadam, dignatus etiam interpretari. Tim. Imò ut uelis rogamus. Eus. Benedictus deus, qui me pascis à iuuentute mea. Qui cibum præbes omni carni, reple letitia & gaudio corda nostra, ut effatim quod satis est habentes, abundemus in omni opus bonum, in Christo Iesu domino nostro, cum quo tibi gloria, honor & imperium, cum sancto spiritu in omne æuum. Tim. Amen. Eus. Nunc accumbite, ac suam quisq; umbram sibi adiungat. Caniciei tuæ debetur primus locus Timothee. Ti. Verbo dignitatem uniuersam meam complexus es. Hoc solo nomine sum cæteris anteponeendus. Eus. Cæterarum

QUIORVM FORMVLAE. 73

Euf. Ceterarum dotium estimator est deus, nos ea sequimur quæ uidemus. Sophoni, adhære corpori tuo. Tu Theophile & Eulali, dextrum mensæ latus occupate. Chrysoglottus & Theodidactus occupabunt læuum. Vranius & Nephalius quod superest. Ego hunc angulū tuebor. Ti. Non patiemur, Hospiti debetur primus locus. Euf. Tota domus hæc mea est, simulq; uestra, quod si mihi permittitur ius in regno meo, is locus debetur hospiti, quencūque sibi delegerit. Nunc utinam Christus ille exhilarator omniū, & sine quo nihil uere suaue est, digne tur huic nostro interesse conuiuio, suaq; præsentia exhilarare animos nostros. Tim. Spero dignabitur. Sed ubi sedebit, iam omnibus locis occupatis? Euf. Utinam ille se misceat omnibus, & patinis, et poculis, ut nihil illum nō sapiat, sed potissimū illabatur animis nostris. Id quo magis dignetur, et nos tanti hospitis reddamur capaciores, si molestū non est, auscultabitis paululū è sacra lectione. Sed ita, ut interim nihilo secius admoueat manus ouis & lactucis, si libet. Ti. Id faciemus libenter, sed auscultabimus libentius. Euf. Is mos mihi multis nominibus uidetur amplectendus, quod hac ratione uidentur inanes fabule, præbeaturq; materia confabulationis frugiferæ. Multum enim ab illis dissentio, qui putant non esse letum conuiuium, nisi quod scæteat ineptis ac lasciuis fabulis, quod perstrepat obi-

K scœnis

FAMILIARIVM COLLO/

scœnis cantiunculis . Vera hilaritas nascitur è pura  
 synœrâque consœntia, atque hi sermones uere lati  
 sunt, quos semper & dixisse iuuet, aut audisse, &  
 semper delectet meminisse, non quorum mox pu-  
 deat, quiq; conscientiam pœnitundine discrucient.  
 Tim. Utinam ista tam perpenderemus omnes, quàm  
 sunt uera. Euf. Hæc præterquam quod certam,  
 et insignem habent utilitatem, etiam iucunda fiunt  
 ubi uel mensem unum assueueris. Tim. Nihil igitur  
 consultius quàm optimis assuescere. Euf. Re-  
 cita puer, distincte et clare. Puer. Sicut diuisiones  
 aquarum, ita cor regis in manu domini, quocunque  
 uoluerit, inclinabit illud. Omnis uia uiri recta sibi  
 uidetur, appendit autem corda dominus, facere mise-  
 ricordiam & iudicium, magis placet domino, quàm  
 uictimæ. Euf. Sit hoc satis. Præstat enim pauca a-  
 uide discere, quàm multa cum tædio deuorare.  
 Tim. Præstat sanè, sed non hic tantùm. Plinius scri-  
 psit, officia Ciceronis nunquam de manibus deponen-  
 da, & sunt sanè digna quæ cum ab oïbus, tum præ-  
 apue ab ijs qui destinati sunt administrandæ Reip.  
 ad uerbum ediscantur, mea quidem sententia, sed  
 hunc prouerbiorum libellum, semper dignum arbi-  
 tratus sum, qui semper nobis circumferatur. Euf.  
 Quoniam sciebam prandium fore dilutum, & insi-  
 pidum, iccirco hanc procuravi nobis condituram.  
 Tim. Nihil hic est non lautissimum, & tamen si-  
 nihil

QVIORVM FORMVLAE. >4

nihil esset præter betas absque pipere, uino & acet  
to, talis lectio condiret omnia. Eus. Mihi tamen  
plus adderet gratiæ, si quod audio penitus intelligā.  
Atq; utinam adesset aliquis uere theologus, qui ista  
non intelligeret solum, uerum etiam saperet. Nobis  
idiotis nescio an fas sit histe de rebus confabulari.

Tim. Ego uero puto, uel nautis esse fas, modo absit  
definiendi temeritas. Fortasse & Christus qui poli  
licitus est sese ad futurum, ubicunq; duo conuenerint  
de ipso tractantes, aspirabit nobis tam multis.

Eus. Quid si igitur partiamur inter nos nouē, tres  
sententias? Con. Non displicet, modo à conuiuatore  
inapiat ordo. Eus. Non detrectarem prouinciā,  
sed uereor ne hic uos peius accipiam quàm cibus ac  
apio. Age nec ubi uidear difficilis conuiuator, omis  
sis uarijs coniecturis, quæ in hunc locum cōgerunt  
interpretes. Mihi uidetur hic esse sensus moralis,  
alios mortales posse flecti monitis, increpationibus,  
legibus ac minis. Regis animum, quoniā neminem  
metuit, si repugnes magis irritari. Et iccirco quoties  
principes uehementer contendunt aliquid, suo animo  
relinquendos, non quod semper uelint optima, sed  
quod illorum stultitia malitiæue deus nonnunquam  
abutatur ad emendandos eos, qui deliquerunt. Quē  
admodū uetuit resisti Nabuchodonosor, quod illius  
ministerio decreuisset castigare populum suum. For  
tassis illud est quod ait Iob: Qui regnare facit homi

FAMILIARIVM COLLO

nem hypocritam, propter peccata populi. Atque huc  
 fortasse pertinet, quod ait David deplorans peccatum  
 suum: Tibi soli peccaui, et malum coram te feci.  
 Non quod reges non peccent ingenti populi malo, sed  
 quod non habent hominem, cuius auctoritate con-  
 demnentur, cum dei iudicium nemo, quamlibet po-  
 tens, possit effugere. Ti. Non displicet interpretatio.  
 Sed quid sibi uolunt diuisiones aquarum?  
 Euf. Adhibita est similitudo, quæ rem explanat.  
 Violenta res, & impotens est regis animus concita-  
 tus, nec huc, aut illuc duci potest, sed impetu suo fer-  
 tur, uelut æstro diuino percitus, quemadmodum ma-  
 re sese spargit in terras, ac subinde cursum mutat,  
 contemptis agris, ædificijs, & quicquid obstat. Ali-  
 cubi se condit sub terras, cuius impetum si coneris in-  
 hibere, aut alio deflectere, nihil agas. Idem accidit  
 in magnis fluminibus, ueluti fabulæ quoque narrant  
 de Acheloo. Minus autem mali capitur, si comode  
 obsequundes, quam si uiolenter repugnes. Ti. Ni-  
 hil igitur remedij, aduersus malorum regum impo-  
 tentiam? Euf. Fortasse primum fuerit, leonem in  
 ciuitatem non reaperere: proximum sic auctoritate se-  
 natus, magistratum, ac ciuium moderari potentiam  
 illius, ut non facile erumpat in tyrannidem. Sed  
 omnium potissimum, dum adhuc puer est, et se prin-  
 cipem esse nescit, sanctis præceptis formare pectus  
 illius. Profunt & preces ac monita, sed blanda ac  
 tempe



QUIORVM FORMVLAE. 75

tempestiu. Extrema ancora est, uotis fatigare de-  
 um, ut regis animum inclinet ad ea, quae Christiano  
 rege digna sint. Ti. Quid ais idiota? Si baccalau-  
 reus essem theologiae, minime pueret istius inter-  
 pretationis. Euf. An uera sit nescio, mihi scitis est  
 quod sensus non sit impius, aut haereticus. Morem  
 gessi uoluntati uestrae. Nunc ut decet in conuiujs,  
 uicissim audire cupio. Ti. Si quid defertis his quo-  
 que canis, mihi uidetur hoc dictum, et ad abstrusio-  
 rem sententiam accommodari posse. Euf. Credo  
 audire cupio. Ti. Rex intelligi potest uir pfectus,  
 qui domitis carnis affectibus, solo diuini spiritus im-  
 petu ducitur. Porro qui sit huiusmodi, hunc non con-  
 uenit fortassis humanis legibus in ordinem cogere, sed  
 suo domino, cuius spiritu agitur relinquendus est.  
 Nec iudicandus est ex hisce rebus, quibus imbecillitas  
 imperfectorum, utcunq; prouehitur ad ueram pietat-  
 tem. Sed si quid secus facit, dicendum est cum Paulo. Do-  
 minus assumpsit illum, domino suo stat aut cadit. Item  
 illud: Spirituales homo omnia diiudicat, ipse uero a  
 nemine iudicatur. Talibus igitur nemo praescribat,  
 sed dominus qui praescripsit terminos mari et amni-  
 bus, habet cor sui regis in manu sua, et quocunq; uol-  
 uerit inflectit illud. Euf. Tu uero Timothee, non  
 solum canos habes capillos, sed pectus etiam habes  
 eruditionis canicie uenerabile. Atque utinam inter  
 Christianos, quos omnes oportebat esse reges, huius

FAMILIARIUM COLLO/

modi plures reperirētur hoc digni cognomine. Sed iam satis est ouatum, & holeribus prælusum. Iube te hæc tolli, et apponi quod superest. Ti. Nobis affatim satisfactum est hac ouatione, etiã si nihil præterea successerit, uel supplicationis, uel triumphi. Eus. Verum quoniam aspirante Christo, sicut opinor, successit res in prima sententia, uelim ut umbra tua nobis enarret alterã, quæ mihi uidetur aliquanto obscurior. Sophronius. Si boni uoletis consulere quicquid dixerò, sædulo dicã quid mihi uidetur. Alioqui qui fieri potest, ut rebus obscuris lucem adferat umbra. Eus. Equidem recipio futurũ omnium nomine. Et tales umbrae lucem suam habent, aptiorem oculis nostris. Soph. Idem docere uidetur quod Paulus. Diuersis uitæ rationibus cõtenditur ad pietatem. Alij placet sacerdotiũ, alij coelibatus, alij coniugium, alij secessus, alij Respub. pro uarietate corporum & ingeniorum. Rursus alius uesatur quibuslibet, alius distinguit inter cibum et cibum, alius iudicat inter diem et diem, alius iudicat omnẽ diem. In his Paulus uult unũquenq; suo frui affectu, atra contumeliam alterius. Nec oportet quenq; ex huiusmodi iudicare, sed iudiciũ deferre deo, qui expendit corda. Fit enim sæpenumero, ut uescens gratior sit deo, quã non uescens, et diẽ festum uiolãs acceptior sit deo, quã is, qui uidetur obseruare. Et matrimonium huius gratius sit oculis dei, quã multorum coelibatus.

Dixi

QUIORVM FORMVLAE. 76

Dixi umbra. Euf. Vtinā mihi saepe cōtingat, cū talibus umbris colloqui. Rem, nisi fallor, nō acu, quod aiūt, sed lingua tetigisti. Sed adest, qui cœlebs uixit, non de numero beatorū, qui se castrauerunt propter regnum dei, sed hic castratus est ui, quo magis placeret uentri, donec & hunc, et escas destruxerit deus. Capus est ex corte nostra. Elixis magis delector. Ius est non inelegans, quod in eo natat, lactucae sunt selectissimae. Sumat sibi quisq; quod gratum est animo. Sed ne quid uos fallam, succedet huic asini nonnihil, mox bellaria. Deinde fabulae catastrophe. Tim. Sed interim excludimus uxorem è conuiuio.

Euf. Vbi uos uenietis comitati uestris, accumbet & mea. Nunc quid aliud esset, quā muta persona, et illa suauius garrit mulier inter mulieres ac liberos, & nos liberius philosophamur. Alioqui periculum sit, ne nobis accidat, quod accidit Socrati, cui quum essent conuiuē philosophi, quibus magis placet huiusmodi fabulae, quā cibus, & in longum proferretur disputatio, Xantippe cōmota, mensam subuertit. Tim. Nihil minus à tua metuendum arbitror. Est enim mulier moribus placidissimis.

Euf. Mihi certe talis est, ut cōmutare non cupiam, etiam si liceat. Atq; hoc nomīe mihi uel præcipue uideor fortunatus. Nec enī mihi placet eorū sentētia, qui fortunatū putant, uxore habuisse nunquā. Magis arridet quod ait sapiens Hebraeus, ei bonā sortē

K 4 obti

FAMILIARIVM COLLO-

obtigit, cui obtigit uxor bona. Tim. Sæpe nostro vitio male sunt uxores, uel quia tales deligimus, uel quia tales reddimus, uel quia non, ut oportet, formamus & instituimus. Euf. Vera prædicas, sed interim expecto tertiæ sententiæ enarrationem, & iam mihi dicturire uidetur θεόπνευστος Theophilus.

Th. Imò mihi animus erat in patinis. Dicam tamē quando licet impune. Euf. Etiam cum gratia licet errare, uel sic præbebis occasionem inueniēdi. Th. Mihi uidetur eadem sententiæ, quam protulit dominus apud Osee prophetam cap. 6. Misericordiam uolui, & non sacrificium, & scientiam dei, plusquam holocausta. Cuius uiuus & efficax interpres est dominus Iesus in Euangelio Matthæi capi. 9. Quū enim conuiuium agitaret in domo Leui, qui erat publicanus, multosq; sui ordinis, suiq; quæstus homines inuitasset ad conuiuium, pharisæi, qui tumebant religione legis, quū ea præcepta negligenter, unde tota lex pendebat et prophætæ, quo discipulorum animos alienarent à Iesu, rogabant illos, quur dominus admisceret se conuiuium peccatorū, à quorum consortio abstinebant Iudæi, qui uolebant haberi sanctiores, & si quando contigisset cum eiusmodi congregari, reuersi domum abluebant corpus. Quumq; discipuli rudes adhuc, non haberent quod responderent, dominus & pro se, et pro discipulis respondit: Non est opus, inquit, medico ualentibus, sed male habētibus.

EUNTES

QVIORVM FORMVLAE. >>

Euntes autem discite, quid est, misericordiam uolo, & non sacrificium. Non enim ueni uocare iustos, sed peccatores. Eus. Pulchre tu quidem collatione locorum rem explicas, id quod in diuinis literis precipuum est, sed discere uelim, quid appellat sacrificium, quid misericordiam. Nam qui consistit, ut auersetur sacrificia deus, quae sibi tot praecipis iusserat exhiberi? Th. Quomodo deus auersetur sacrificia docet ipse nos apud Esaiam cap. 1. Sunt enim quaedam praescripta in deis in lege, quae significant magis sanctimoniam, quam praestant, quod genus sunt, dies festi sabbatismi, ieiunia, sacrificia. Et sunt quae semper praestanda sint, quae suapte natura bona sunt, non quia iusta. Iudaeos autem auersatur deus, non quod obseruarent legis ritus, sed quod his stulte tumidi, negligenter ea, quae deus maxime uult praestari a nobis, ac madentes auaritia, superbia, rapinis, odio, liuore, ceterisque uitijs, existimabant deum ipsis multum debere, quod diebus festis uersarentur in templo, quod immolarent uictimas, quod abstinerent a cibis uetitis, quod illi nonnunquam ieiunarent. Umbras amplectabantur, rem negligebant. Quod autem ait, misericordiam uolo, & non sacrificium, opinor ex idiomate sermonis Hebraei, dictum pro eo, quod erat, misericordiam uolo, potius quam sacrificium, quemadmodum uelut interpretatur Solomon. Quum ait, facere misericordiam et iudicium, magis placent domino quam uictimae. Porro omne officium,

K 5 quod

## FAMILIARIVM COLLOQ

quod impenditur subleuando proximo, scriptura misericordiam uocat, & eleemosynam, quæ & ipsa nomen duxit à miserendo. Victimam appellari puto quicquid pertinet ad æremonias corporales, et aliquid habet affine cum Iudaismo. Quod genus sunt delictus ciborum, uestitus præscriptus, ieiunium, sacrificium, preces ueluti pensum absolutæ, quies diei festi. Hæc enim, ut pro tempore nō sunt omnino negligenda, ita deo fiunt ingrata, si quis obseruationibus huiusmodi confusus negligat misericordiam, quoties fratris necessitas exigit officium charitatis. Habet speciem sanctimonie, etiam colloquia uitare malorum. Sed hoc cessare debet, quoties aliud suadet charitas proximi. Obedientia est quiescere diebus festis, sed impium sit ob religionem diei sinere fratrem perire. Itaque seruare diem dominicum, uictima est, ut ita loquar, reconciliari fratri, misericordia est. Porro iudicium quanquam potest ad potentes referri, qui frequenter ui opprimunt imbecilles, tamen mihi uideatur nō absurdum, si respondeat illi, quod est apud Osee, et scientiam dei plusquam holocausta. Nō seruat legem, qui non seruat iuxta mentem dei. Iudæi subleuabant asinum in foueam collapsam sabbatis, & Christum calumniabantur, qui seruaret totum hominem in sabbato. Hic erat præposterum iudicium & aberat scientia dei, nesciebant enim quod ista propter hominem essent instituta, nō homo propter illa.

Sed

QVIORVM FORMVLAE. 78

Sed hæc impudenter dicere uiderer, nisi uestro iussu dicerem, malim ex alijs rectora discere. Euf. Ista mihi uidentur adeo dicta impudenter, ut existimem dominum Iesum loqui per organum oris tui. Sed interim dum largiter pasamus animos nostros, ne negligantur college. Th. Quinam? Euf. Corpora nostra, nonne college sunt animorū? Hoc enim malim quàm instrumenta, uel domicilia, uel sepulchra. Th. Hæc nimirum est affatim refici, ubi totus homo refiatur. Euf. Video uos segniter attingere. Quare si uidetur iubebo proferri assa, ne pro lauto cōuiuio, longū præbeā. Videtis huius prandioli summam. Armus est ouillus, sed exquisitus, Capus, & perdices quatuor. Has solas à mercatu sumpsi, reliqua suppeditat hoc prædiolū. Tim. Epicureū prandium uideo, ne dicā Sybariticū. Euf. Imò uix Carmelitium. Sed quale quale est, boni consuletis. Animus certe purus est, si parum lautum est conuiuium. Tim. Adeo non est muta tua domus, ut non solum parietes, sed & cyathus loquatur aliquid. Euf. Quid tibi loquitur? Ti. Nemo, nisi à seipso læditur. Euf. Cyathus patrocinator uino. Nam uulgus febrim, aut capitis grauedinem è potu contractam imputare solet uino, quum ipsi sibi malum acerserint, immodicè bibendo. Soph. Meus Græcè loquitur. *ἐν οἴνω ἀλήθεια.* Euf. Admonet non esse tutum sacerdotibus, aut regū famulis indulgere uino, quod

MINIUM

FAMILIARIVM COLLO=

uinum ferè transferat in linguã quicquid latebat in corde. Soph. Apud Aegyptios olim nephas erat sacerdotibus bibere uinum, quum nondum illis mortales sua cõmitterent arcana. Euf. Nunc licet quidẽ omnibus bibere uinum, an expediat nescio. Eulali, quid libelli profers è crumena? perquam elegans libellus, nam foris etiam totus aureus est. Eula. Sed idem intus plusquã gemmeus est. Sunt epistolæ Paulinae, quas ut unicas delicias meas semper mecũ circunfero, quas ideo profero, qd' ex occasione sermonis tui uenit in mētem locus quidam, qui me nuper diu torsit, nec adhuc satis sibi facit animus. Is est in epistolæ prioris ad Corinth. ca. 6. Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt, Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestatē. Primũ si Stoicis credimus, nihil est utile, quod nõ idem honestum. Quomodo igitur Paulus distinguit id, quod licet, ab eo quod expedit? Certe scortari aut inebriari non licet, quomodo igitur licent omnia? Quod si Paulus de certo genere rerum loquitur, quarum omniũ uult esse licentiã, non possum satis ex ipso loci tenore diuinare, quodnã sit illud genus. Ex ijs, quæ mox huic loco subiiciuntur, conijcere licet, eũ loqui de ciborũ delectu. Quidam enim abstinebant ab Idolothytis, quidam à cibus per Mosen interdictis. Et de Idolothytis agit ca. octauo. Rursus cap. decimo. uelut explicans huius loci sententiã ait. Omnia mihi licent, sed non



QVIORVM FORMVLAE. >9

sed non omnia expediunt, omnia mihi licent, sed  
nō omnia edificant. Nemo quod suū est querat, sed  
quod alterius. Omne quod in macello uenit mandu-  
cate. Hoc quod hic subiicit Paulus, congruere uider-  
tur cum eo, quod supra dixerat, Esca uentri, & uen-  
ter escis, & hunc & has destruet deus. Quod autē  
respexit hic etiā ad Iudaicum ciborum delectum in-  
dicat clausula decimi capituli, Sine offensione estote  
Iudæis & gētibus & ecclesiæ dei. Sicut & ego per  
omnia omnibus placeo, non querens quod mihi utile  
est, sed quod multis ut salui fiant. Nā quod ait gen-  
tibus, pertinere uidetur ad idolothytū: quod ait Iu-  
dæis, referri uidetur ad delectū ciborum: quod ait  
ecclesiæ dei, pertinet ad infirmos, ex utraq; gente  
collectos. Licet igitur uesci quibuslibet cibus, & o-  
mnia munda mundis, sed incidit casus, ut non expe-  
diat. Quod omnia licent, libertatis est Euangelicæ,  
sed charitas ubiq; spectat quid conducat ad salutē  
proximi, eoq; frequenter abstinet & à licitis, ma-  
lens obsecundare cōmodo proximi, quā sua utili-  
bertate. Sed hic mihi geminus obstrepit scrupulus,  
primum quod in sermonis contextu nihil præcedat  
aut sequatur, quod cum hoc sensu cohereat. Nam  
obiurgarat Corinthios, quod essent seditiosi, quod  
scoortationibus, adulterijs, atq; etiam incestis impu-  
ri, quod litigarent apud iudices impios. Cum his  
qui cohæret, omnia mihi licent, sed non omnia expe-  
diunt.

FAMILIARIVM COLLOQVIA

diunt? Et in his quæ sequuntur redit ad causam impudiciæ, quam repetierat & ante, intermisso negotio litium. Corpus autē, inquit, non fornicationi, sed domino, & dominus corpori. Sed hunc quoq; scrupulum possum utcunq; discutere, quod paulo superius in Cathalogo uitiorum meminisset, et idololatriæ. Nolite errare neq; fornicari, neq; idolis seruiantes, neq; adulteri. Porro esus idolothytorū uergebat ad speciem idololatriæ. Et ideo mox subdit. Esca uentri, & uenter escis, significans pro necessitate corporis, pro tēpore licere uesci quibuslibet, nisi aliud suaserit charitas proximi, sed impudiciam semper & ubiq; detestandā esse. Quod uescimur, necessitatis est, quæ tolletur in resurrectione mortuorum. Quod libidinamur maliciæ est. Sed alterum scrupulū non queo dissoluere, quomodo ad hæc quadret illud: Sed ego sub nullius redigar potestatem. Ait enim sibi potestatem esse omnium, se tamē in nullius potestate fore. Si is dicitur esse in potestate aliena, q̄ ne offendat abstinet, idē ca. ix. de se prædicat. Cū liber essem ab oībus, omnium me seruū feci, ut oēs lucrifarerē. Hoc opinor, offensus scrupulo San. Ambro. putat hunc esse germanū apostoli sensum, ut uiam præstruat illi, quod agit ca. ix. sibi quoq; potestatem esse faciēdi, quod ceteri faciebāt, uel apostoli, uel pseudapostoli, sumēdi sumptū ab his quibus prædicabat euangeliū. Sed ab hoc, tametsi licebat, tēperabat, quod sic

QVIORVM FORMVLAE. 80

quod sic expediret Corinthijs, quos de tā multis & insignibus uitijs obiurgabat. Porro quisquis accipit fit quodammodo obnoxius ei, à quo accipit, & aliqua decedit de uigore authoritatis. Siquidē qui accipit, minus libere obiurgat, & q̄ dedit, nō perinde fert obiurgari ab eo cui benefacit. In hoc igitur Paulus abstinuit ab ijs, quæ licēbāt, ut cōsuleret apostolica libertati, quā in hoc uolebat nulli esse obnoxia, ut liberius ac maiore cū authoritate reprehenderet illorū uitia. Mihi sanē nō displicet Ambrosiana sententia. Attamē si quis mallet hunc locū ad cibos accommodare, mea sententia, quod ait Paulus, sed ego sub nullius adigar potestātē, sic accipi posset, tamen si nōnunquā abstinēā à cibis immolaticijs, aut lege Mosaiica uctitis, ut consalā saluti proximi, ac profectui Euāgelico, tamen animus meus liber est, qui scit sibi licere uesci cibis quibuslibet, pro necessitate corpusculi. At Pseudapostoli conabantur hoc persuadere quosdam cibos per se impuros esse, nec abstinentium per occasionem, sed semper ab his temperandum, tanquā natura malis, nec aliter quā abstineamus ab homicidio, & adulterio. Hoc quibus erat persuasum redacti erant sub alienā potestātē, & exiderāt ab Euāgelica libertate. Solus, quod quidē meminim, Theophylactus, sententiā inducit ab his oibus diuersam, licet uesci quibuslibet cibis, sed non expedit imodice. Nā ex luxu nascitur impudicitia.

Hic sensus.

FAMILIARIVM COLLOQ

Hic sensus, quāquam impius nō est, tamen mihi non videtur huius loci germanus esse. Ostendi quæ me torqueant, uestra charitatis erit, me ex his scrupulis eximere. E. Næ tu probe tuo respondes nomini. Qui sic nouit proponere quæstiones, nō opus habet alio qui dissoluat. Sic enim proposuisti dubitationē tuā, ut ego dubitare desierim. Tametsi Paulus in ea epistola, quoniā multa simul decreuit agere, sepe ab uno argumento in aliud deuoluitur, & rursum quod intermiserat repetit. Chrysoglottus. Nisi uererer ne uos mea loquacitate auocem à capiendo cibo, & si crederē fas esse, tam sacris colloquijs admiscere quicquā ex prophanis authoribus, proponerem & ipse quiddam, quod hodie legentem me non torsit, sed unice delectauit. Euf. Imò prophanium dici non debet, quicquid pium est, & ad bonos mores conducens. Sacris quidem literis ubiq; prima debetur authoritas, sed tamen ego nōnunquam offendo quædam, uel dicta à ueteribus, uel scripta ab Ethnicis, etiam poëtis, tam caste, tam sancte, tam diuinitus, ut mihi non possim persuadere, quin peritus illorum quum illa scriberent, numē aliquod bonum agitauerit. Et fortasse latius se fundit spiritus Christi, quàm nos interpretamur. Et multi sunt in consortio sanctorum, qui non sunt apud nos in Catalogo. Fateor affectum meum apud amicos, nō possum legere librum Ciceronis de senectute, de amicitia, de

QUIORVM FORMVLAE. 81

citia, de officijs, de Tusculanis quaestionibus, quibus  
 aliquoties exosculer codicem, ac uenerer sanctum il-  
 lud pectus, afflatum caelesti numine. Contra, quum hos  
 quosdam recentiores lego, de republica, oeconomia,  
 aut ethica praecipientes, deum immortalem, quam fris-  
 gent pra illis, imo quam non uidentur sentire quod  
 scribunt, ut ego citius patiar perire totum Scotum,  
 cum aliquot sui similibus, quam libros unius Ciero-  
 nis, aut Plutarchi: non quod illos in totum damnem,  
 sed quod ex his sentiam me reddi meliorem, quum ex  
 illorum lectione surgam, nescio quomodo, frigidius  
 affectus erga ueram uirtutem, sed irritatior ad con-  
 tentionem. Quare, ne uerere, quicquid istuc est pro-  
 ponere. Chryso. Quum plerique libri M. Tullij quos  
 scripsit de philosophia, diuinitatis quiddam spirare  
 uidentur, tum ille quem senex scripsit, de senectute,  
 plane mihi uidetur κρυβερον ασμα, quemadmodum  
 Graecis est in prouerbio. Eum hodie relegi, atque haec  
 uerba, quonia pra caeteris arridebant, edidia: Quod  
 si quis deus mihi largiatur, ut ex hac aetate repuera-  
 scerem, & in cunis uagiam, ualde recusem, nec ue-  
 ro uelim, quasi decurso spatio, a calae ad carceres re-  
 uocari. Quid enim habet haec uita commodi, quid  
 non potius laboris? Sed non habeat sane, habet cer-  
 te tamen, aut satietatem, aut molestiam. Non libet ei-  
 nim mihi deplorare uitam, quod multi, & hi docti  
 saepe fecerunt. Nec me uixisse poenitet, quoniam ita

L uixi

FAMILIARIVM COLLO-

uixi ut frustra me natum non existimem. Et ex uita ista discedo, tanquam ex hospitio, non tanquam e domo. Commorandi enim natura diuersorium nobis, non habitandi dedit. O præclarum illum diem, quum ad illud animorum concilium, coetumque proficiscar, & quum ex hac turba, & colluione discedam. Haec Etenus Cato. Quid ab homine Christiano dici potuit sanctius? Utinam talia essent colloquia monachorum omnia, uel cum sacris uirginibus, quale fuit illud ethnici senis colloquium cum ethniis adolescentibus. Euf. Iam aliquis causabitur colloquium esse confictum à Cicerone. Chrysoglot. Istuc me a non magni refert, siue hoc laudis tribuatur Catoni, qui talia senserit, dixeritque: siue Ciceroni, cuius animus sententias tam diuinas cogitatione complexus sit, cuius calamus res egregias, pari facundia depinxerit. Quanquam equidem arbitror, et Catonem, etiamsi non dixit eadem, tamen similia dicere solitum in colloquijs. Nec enim tam impudens erat M. Tullius, ut alium Catonem finxerit, quam fuerit, & in dialogo parum meminisset decori, quod in primis spectandum est, in hoc scripti genere, praesertim quum eius uiri memoria recens adhuc haereret animis eius ætatis hominum. Theodidactus. Vehementer probabile est quod narras. Sed dicam quid mihi uenerit in mentem, te recitante. Sæpenumero mecum admiratus sum quum omnes optent longæuitatem, & mortem exhorreant,

horreant, tamen uix quenquam cōperi tam felicem, non dico senem, sed prouectioris aetatis hominem, quin rogatus, an si detur, uelit repuerascere, usus per omnia ijsdem bonis ac malis, quæ illi iam contigissent in uita, quin responderit idem quod Cato dicit, præsertim si recolat año, quicquid annis retro actis, seu triste, seu letū obtigisset. Nam frequenter et suauium rerum recordatio, uel cum pudore, uel cōscientiæ molestia coniuncta est, ut animus ab his etiam recolendis non minus abhorreat, quàm à tristibus. Id opinor nobis indicarunt sapientissimi poëtae, qui scribunt: tum demū animas capi desiderio corporum relictorū, posteaquā ex amne lethæo, lōga biberint obliuia. Vranius. Est istuc profecto dignum admiratione, et mihi quoq; compertum in nōnullis. Verū illud quàm mihi blandiebatur. Nec me uixisse poenitet. At quotusquisq; Christianorū, sic moderatur uitam suam, ut huius senis uocem sibi possit usurpare? Vulgus hominum existimat se non frustra uixisse, si per fas nefasq; congestas diuitias relinquunt morientes. At Cato ideo non putat se frustra natū, quod integrum & sanctum auem præstiterit Reip. quod incorruptū magistratū, q̄ posteritati quoq; uirtutis & industriæ suæ monumenta reliquerit. Iam illo quid dici potuit diuinius? Discedo tanquā ex hospitio, nō tanquā è domo. Hospitio tātisper uti licet, donec hospes iubeat exire. E domo sua nullus facile  
L 2 pellitur.

FAMILIARIVM COLLO

pellitur. Et tamen hinc quoque saepenumero propellit, uel ruina, uel incendiū, uel alius casus quispiam. Ut horum nihil accidat, tamen senio collabens aedificium admonet esse demigrandum. Nephalius. Nō minus elegans est, quod apud Platonem loquitur Socrates, animam humanam, in hoc corpore uelut in presidio positam esse, unde fas non sit decedere in iussu imperatoris, nec diutius in eo cōmorari, quam uisum sit ei qui collocauit. Illud significantius est in Platone, quod pro domo dixerit presidium. Siquidē in domo tantum cōmoramur, in presidio destinati sumus functioni quā nobis delegauit imperator noster, non abludens à nostris literis, quæ uitam hominis nunc militiā, nunc certamen esse dicunt. Vra. At mihi quidem oratio Catonis pulchre congruere uidetur, cum oratione Pauli qui scribēs Corinthijs coelestem mansionem, quam expectamus post hanc uitam, οἰκίαν uocat, ἡ οἰκτιήσιον hoc est, domum siue domiciliū. Ceterum hoc corpusculum appellat tabernaculum Græce σκηνος Nam et qui sumus, inquit, in hoc tabernaculo ingemiscimus grauati. Neop. Nec abludit à sermone Petri. Iustum aut, inquit, arbitror, quā diu sum in hoc tabernaculo, suscitare uos in cōmonitione, certus, quod uelox est depositio tabernaculi mei. Quid autem aliud clamat nobis Christus, quā ut sic uiuamus, ac uigilemus, tanquā ilico morituri, sic incumbamus honestis rebus



rebus, tanquã semper uicturi? Iam illud quum audi-  
 mus, O præclarũ diem, nõnne uidemur audire Pau-  
 lum ipsum loquentẽ: Cupio dissolui, et esse cũ Chris-  
 sto? Chryso. Quã felices sunt, qui tali animo mor-  
 tem expectant. Sed in oratione Catonis, quanquam  
 præclara est, tamen fiducia aliquis taxare posset, ut  
 ab arrogantia profectã, quam multum oportet abesse  
 ab homine Christiano. Proinde mihi nihil unquã le-  
 gisse uideor, apud ethnicos q̄ aptius quadret in ho-  
 minem uere Christianũ, quã quod Socrates paulo  
 post bibiturus ciuitã dixit Critoni: An opera, inqt,  
 nostra sit probaturus deus nescio. Certe, sedulo co-  
 nati sumus, ut illi placeremus. Est tamen mihi bona  
 spes q̄ ille conatus nostros, sit boni cõsulturus. Vir  
 ille sic diffidit factis suis, ut tamen, ob animi pro-  
 pensam uoluntatem, obtemperandi uoluntati di-  
 uinã, bonã spem conceperit, fore, ut deus pro sua bo-  
 nitate, boni cõsulturus esset, quod studisset bene ui-  
 uere. Ne. Profecto mirãdus anĩus in eo qui Chris-  
 tum, ac sacras literas non nouerat. Proinde quum  
 huiusmodi quẽdã lego, de talibus uiris, uix mihi tẽ-  
 pero, quin dicam, sancte Socrates ora pro nobis.  
 Chry. At ipse mihi sepe numero non tempero, quin  
 bene ominer sanctã anĩã Maronis ac Flacci. Neop.  
 At ego quot uidi Christianos quã frigide morien-  
 tes. Quidã fidunt his rebus, quibus nõ est fidendum,  
 quidam ob conscientĩã scelerũ, et scrupulos quibus

FAMILIARIUM COLLO/

indocti quidam obstrepunt morituro, penè desperantes exhalant animā. Chryso. Nec mirum eos sic mori, qui per omnem uitam philosophati sunt in æremonijs. Ne. Quid istuc uerbi est? Chryso. Dicam, sed illud etiam atq; etiam præfatus, me non damnare, Imò uehementer probare sacramenta & ritus ecclesiæ. Sed quosdā uel improbos, uel superstiosos, uel ut molissime dicā, simplices, et indoctos, qui docent populum hisæ rebus fidere, prætermis his, quæ nos uere reddunt Christianos. Ne. Non dum satis intelligo, quorsum eas. Chryso. Faxo ut intelligas. Si uulgus Christianorū spectes, nōne pro ra et puppis uitæ illis in æremonijs est? In baptismo quāta religione representātur prisca ritus ecclesiæ. Cōmoratur infans extra fores templi, peragitur exorcismus, peragitur catechismus, suscipiuntur uota, abiuratur satanas, cū pompis, et uoluptatibus suis. Tandem ungitur, salitur, tingitur. Datur negocium susceptoribus, ut puerum curent instituendū. Illi dato nummo redimūt libertatē. Et iam puer Christianus dicitur, & est aliquo modo. Mox rursus ungitur, tandem discit cōfiteri, sumit eucharistiā, cōsuescit quiescere diebus festis, audire sacrū, ieiunare nōnunquā, abstinere à carnibus. Et hæc si seruat, habetur absolute Christianus. Ducit uxore, accedit aliud sacramentum, initiatur sacris, rursus ungitur, & cōsecratur, mutatur uestis, dicuntur preces. Atque hæc quidem  
omnia

omnia quod fiunt probo, sed quod hæc fiunt magis ex consuetudine, quam ex animo, nõ probo. Quod nihil aliud adhibetur ad Christianismũ uehementer improbo. Siquidẽ magna pars hominũ, dum his fidi- dit, nihilo secius interim per fas nefasq; cõgerit opes, seruit iræ, seruit libidini, seruit liuori, seruit ambi- tioni. Sic tandem uenitur ad mortẽ. Hic rursus cere- moniæ paratæ. Adhibetur confessio semel atque ite- rum, additur unctio, datur Eucharistia, adsunt cerei sacri, adest crux, adest aqua sacra, adhibentur in- dulgentiæ, expromitur, aut illic etiã emitur morient- ti diploma pontificis, ordinantur parentalia magnifi- cæ celebranda, fit rursus stipulatio solẽnis. Adest qui clamet ad aurem morientis. Imò nonnunquã occidit ante tempus, si cõtingat (ut sæpe fit) uocalior, aut be- ne potus. Hæc ut recte adhibentur, præsertim quæ no- bis tradidit ecclesiastica cõsuetudo, ita sunt alia quæ- dam reconditiora, quæ nobis hoc præstant, ut cũ ala- critate spiritus, ut cũ Christiana fiducia migremus hinc. Eus. Pie tu quidem ista, uereq; condonaris, sed interim nullus admouet manũ abis. Caueat quis- que ne se fallat. Ego prædixi nihil expectandum præter secundas mensas, easq; rusticanas, ne quis sibi promittat phasides aues, aut attagenas, aut at- tica bellaria. Hæc amoueto puer, & quod restat, ap- ponito. Videtis non copiæ, sed inopiæ nostræ cornu. Hic est prouentus hortulorum quos uidiistis.

L 4 Ne parcite,

FAMILIARIVM COLLOQ

Ne parate, si quid arridet. Tim. Tanta uarietas est, ut uel ipso recreemur aspectu. Euf. Atqui ne planè contemnatis frugalitatē meam. Hæc patina exhilarasset Hilarionem monachum Euangelicū, comitatum uel centum monachis illius seculi. Paulo uero atque Antonio, uel menstruus cōmeatus esse potuisset. Tim. Imò nec Petrus ille princeps apostolorum fastidisset, opinor, quum apud Simonē Coriariū diuersaretur. Euf. Imò nec Paulus, opinor, quum coactus egestate sutoriam nocturnis horis exerceret. Tim. Debemus benignitati diuine. Sed ego malim esurire cū Petro ac Paulo, modo quod de esset corporis alimonie, abūdaret in delicias animi. Euf. Imò discamus à Paulo & abundare et penuriam pati. Quum deeerit, gratias agamus Iesu Christo, qui nobis suppeditet, et frugalitatis, et patientie materiā. Quū supererit, gratias agamus illius munificentie, qui nos sua liberalitate inuitet ac prouocat ad amorē sui, ac modicæ paræq; fruētes ijs quæ largiter præbuit diuina benignitas, pauperū memores simus, quibus deus deesse uoluit, quod nobis superest, ut utrisq; per alteros sit occasio uirtutis. Siquid ē nobis largitur, unde subuenientes egestati fraternæ, misericordiā ipsius promereamur, et illi nostra liberalitate recreati, gratias agūt deo pro bona mente nostra, nosq; precibus suis illi cōmendant. Et recte uenit in mentē. Heus puer, dic uxori, ut ex assis quæ superant

perant, mittat Gudulae nostrae. Est uicina quaedam grauida, tenui fortuna, sed animo beatissima. Maritus nuper decessit, homo profusus, & ignauus, qui nihil uxori reliquit, praeter liberorum gregem. Tim. Christus iussit dare omni petenti, id si facerem, intra mensem ipsi mihi mendicandum esset. Euf. Opinor Christum sentire de his qui petant necessaria. Nam qui petunt, imò qui flagitant uel extorquent potius magnas summas, quibus extruant coenationes Lucullianas, aut quod peius est, quibus alant luxum ac libidinem suam, ijs negare quod petunt eleemosyna est. Imò rapina est, largiri male usuris quod debebatur praesenti necessitati proximi. Vnde mihi uidentur uix excusari posse à peccato capitali, qui sumptibus immodicis, aut extruunt, aut ornant monasteria seu templa, quum interim tot uiua Christi templa fame periclitentur, nuditate horreant, rerumq; necessariorum inopia discrucientur. Cum essem apud Britannos, uidi tumbam diui Thomae gemmis innumeris, summiq; pretij onustam, praeter alia miracula diuitiarum. Ego malim ista quae superflua sunt elargiri in usus pauperum, quam seruare Satrapis aliquando semel omnia direpturis, ac tumbam ornare frondibus, ac floribus, id opinor gratius esset illi sanctissimo uiro.

Quum essem apud Insubres, uidi monasterium quoddam ordinis Cartusiani, non ita procul à Papiis. In eo templum est intus ac foris, ab imò usq; ad summum can-

L 5 dido

FAMILIARIVM COLLO

didio marmore constructū, et ferè quicquid inest re-  
rum, marmoreum est, uelut altaria, columnæ, tubæ.  
Quorsum aut attinebat tantum pecuniarū effunde-  
re, ut pauca monachi solitarij canerent in tēplo mar-  
moreo, quibus ipsis templum hoc oneri est, non usui:  
quod frequenter infestentur ab hospitibus, qui nō ob  
aliud eōse conferunt, nisi ut spectent templum illud  
marmoreū. Atq; illic cognoui, quod stultius etiā est,  
illis legata in singulos annos tria milia ducatorū in-  
structuram monasterij. Et sunt qui putent esse ne fas  
eam pecuniā in pios usus auertere, præter mentem te-  
statoris. Maluntq; demoliri, quod instaurent, quā  
non edificare. Hæc quoniā insignia sunt, uisum est  
cōmemorare, quanquā sunt passim in templis nostris  
exempla permulta similia. Hæc mihi uidetur ambi-  
tio, non eleemosyna. Diuites ambiunt sibi monu-  
mentum in templis, in quibus olim nec diuis locus  
erat. Curant se sculpendos ac pingendos additis eti-  
am nominibus, ac beneficij titulo. Dicit aliquis. An  
horum munificentiam existimas reijciendam? Ne-  
quaquam, si templo dei dignum sit, quod offerunt.  
Sed ego si sacerdos aut episcopus essem, hortarer  
crassos illos aulicos, aut negotiatores, ut si uellēt sua  
peccata redimere apud deum, ista clanculum effun-  
derent in subsidium eorum, qui uere pauperes sunt.  
Isti putant perire pecuniam, quæ sic frustulati &  
clanculum in præsentem egestatem tenuiū subleuan-  
dant

dam dissipatur, cuius nullum extet apud posteros monumentum. Ego puto nullam melius collocari ea, quã ipsi Christus sibi uult imputari, certissimus debitor. Tim. An non putas recte collocari, quod datur monasterijs? Euf. Et his darẽ nonnihil, si diues essem, sed darem ad necessitatem, non ad luxum, tum his inter quos sentirem uigere studium ueræ religionis. Tim. Multi iudicant non admodum belle collocari, quod datur istis mendicis publicis. Euf. Et istis nõ nihil dandum est aliquando, sed cum delectu. At mihi consultum uideatur, si singulæ ciuitates suos alerent, nec ferrentur erronee huc et illuc circũcursũtantes, præsertim ualidi, quibus opus suppeditandũ sentio potius, quã pecuniã. Tim. Quibus igitur potissimum dandum censes, quantum & quatenus? Euf. Hoc mihi ad unguem describere difficillimum sit. Primum animũ adesse oportet, qui cupiat omnibus subuenire. Deinde pro mea tenuitate quod possum impartio, quoties sese offert occasio, præsertim his, quorum & paupertas & integritas mihi nota est. Hortor et alios ad beneficentiam, si me desererint facultates. Tim. Sed permittis ne nobis hic in tuo regno libere loqui? Euf. Imò liberius, quã si domi uestre sitis. Tim. Nõ probas in templis sumptus immodicos. Et has ædes multo minoris edificare poteras. Euf. Equidem arbitror has intra mundiciem consistere, aut si quis elegantiam, certe absunt

## FAMILIARIVM COLLO

sunt à luxu, ni fallor. Aedificant magnificentius qui mendicato uiuunt. Et tamen hi ipsi horti mei, quales quales sunt uectigal pendent egenis. Et quotidie sumptibus aliquid detraho, in me meosque frugalior, quo possim esse in pauperes munificentior. Ti. Si istum animum obtinerent omnes, permulti melius haberent, quos nunc egestas grauat indignos, & ex aduerso multi minus essent obesi, digni quos egestas doceat sobrietatem ac modestiam. Euf. Fortasse sic res habet, sed uultis ne, ut hæc insipida bellaria re quapiam suauicondiamus? Tim. Plus satis est deliciarum. Euf. At ego hinc depromam, quod ne saturi quidē fastidiatis. Tim. Quid est? Euf. Codex est Euangeliorum, ut quod lautissimum habeo, uobis depromam in fine conuiuij. Recita puer, ab eo loco ubi proxime destitisti. Puer. Nemo potest duobus dominis seruire. Aut enim unum odio habebit, & alterum diliget, aut unum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis deo seruire & mammonæ. Ideo dico uobis, ne solliciti sitis animæ uestre quid manducetis, neque corpori quid induamini. Nonne anima plus est quàm esca, & corpus plus quàm uestimentum? Euf. Redde codicem. In hoc loco mihi Iesus Christus uidetur bis idem dixisse. Etenim si pro eo quod prius dixit, odio habebit, mox ponit contemnet, & pro eo quod prius posuerat diliget, mox uertit sustinebit, cōmutatis personis, existit



QVIORVM FORMVLAE. 87

sonis, existit eadem sententia. Tim. Non satis assequor quid uelis. Eu. Demonstremus igitur ratione Mathematica, si uideatur. In priore parte pro uno pone A, pro altero B. Rursus in posteriore pro uno pone B, pro altero A, uerso ordine. Aut enim A odio habebit, & B diliget, aut B sustinebit, & A contemnet. Nonne hic palam est, A bis odio haberi, & B bis diligi? Tim. Perspicuum est. Euf. Atqui haec cōiunctio, aut praesertim repetita, habet emphasim sententiae contrariae, aut certe diuersae. Alioqui nonne absurde diceretur, Aut Petrus me uincet, & ego cedam, aut ego cedam & Petrus me uincet. Ti. Lepidum ita me deus amet sophisma. Eu. At tum demum mihi uidebitur lepidum si hoc ex uobis didicero. Ti. Animus somniat ac parturit mihi nescio quid, si iubetis quicquid est, proferā in medium, uos eritis, uel oniropli uel obstetrices. Eu. Quāquam uulgo mali ominis habetur somniorum meminisse in cōuiuio, & parum sit uerecundum coram tot uiris foetum eniti. Tamen nos istud somniū, siue maui partum animi tui libenter excipiemus. Ti. Mihi uidetur in hoc sermone res cōmutari potius quā persona. Et hanc uocē unū & unum non referri, ad A & B, sed utraq; pars refertur ad utrumlibet, ut utrūcunq; delegeris, ei iam opponatur, quod significatur per alterum. Quasi dicas. Aut excludes A, & admittes B, aut A admittes, & excludes

FAMILIARIVM COLLOQ

excludes B. Hic uidetis manente persona, rem esse  
 translata. Atq; hoc ita dictū est de A, ut nihil reſer-  
 rat si idem enūcies de B. Hoc pacto, aut B excludes,  
 & admittes A, aut admittes B, & excludes A. Eu.  
 Sanè argute tu quidē problema nobis explicuisti, ne-  
 q; quisquā mathematicus melius depinxisset in pul-  
 uere. Sophro. Illud in re magis mouet, qd' hic prohi-  
 bet esse sollicitos de crastino, quū Paulus ipse labo-  
 rarit manibus uictus parādi causa, atq; idē acriter in-  
 crepet ociosos & ex alieno uiuere gaudētes, admo-  
 nēs, ut laborēt, ac manibus operētur quod bonū est,  
 ut sit unde tribuāt aliqd necessitatē patienti. An nō  
 pij sanctiq; labores sunt quibus maritus tenuis, alit  
 uxore sibi charissimā, dulcesq; liberos? Ti. Ista quæ-  
 stio mea sentētia uarijs modis dissolui potest. Primū  
 ut ad illa tēpora potissimū pertineat. Apostolis ob  
 Euangelij prædicationē late uagantibus, eximenda  
 erat sollicitudo uictus undecunq; suppeditandi, qui-  
 bus nō uacabat opera manuarum cibū quærere, præ-  
 sertim quum nullā artem scirent quidē præter piscā-  
 tionē. Nunc alia ratio temporū est, & ocium am-  
 plectimur omnes, laborē fugimus. Altera dissoluen-  
 di ratio est. Christus nō interdixit industriā, sed so-  
 litudinē. Et solitudinē intelligit, iuxta uulgarē  
 hominum affectum, qui nulla de re magis anxij sunt  
 quā de parando uictū, ut omnibus rebus omissis,  
 hoc solum agant, huic uni curæ sint addicti. Id pro-  
 pmodum

pemodū indicat ipse dominus, quū negat eundem  
 duobus dominis seruire posse. Seruit enim qui toto  
 pectore adictus. Præcipuam igitur curam uult esse  
 Euangelij propagandi, nō solam. Ait enim. Primū  
 querite regnum dei, & hæc adicientur uobis. Non  
 dicit solum querite, sed primū querite. Cæterum in  
 uoce crastini, puto hyperpolen esse, quū significet in  
 longinquū, qui mos est auaris huius mundi, ut poste  
 ris etiā anxie parent & querant. Euf. Accipimus  
 tuā interpretationē, sed quid sibi uult quod ait: Ne  
 solliciti sitis animæ uestre quid edatis. Corpus ueste  
 tegitur. At non edit anima. Ti. Animā, ut opinor,  
 hic uitam appellat. Ea periclitatur si cibum subdu  
 xeris. Non item si uestem detraxeris, quo magis da  
 tur pudori, quā necessitati. Et si quē affligit nudi  
 tas, nō statim occidit. At inedia certissima mors est.  
 Eulalius. Non satis uideo quomodo cohæreat cum  
 hac sententia qd' adiecit. Nōne anima plus est quā  
 esca, & corpus plus q̄ uestimentū? Nam si uita ma  
 gni precij est, tanto magis aduigilandū, ne pereat.  
 Hoc argumentū non adimit nobis sollicitudinē, sed  
 auget. Eu. At nō hoc sensit Christus quod interpre  
 taris, sed hoc argumēto nobis addit fiduciā de patre  
 Si pater benignus, gratis & de suo dedit, id qd' cha  
 rius est, etiam adiciet id quod uilius est. Qui dedit  
 animā non negabit alimoniam, qui dedit corpus, adij  
 ciet alicunde uestem. Illius igitur benignitate freti,  
 non est

FAMILIARIVM COLLOQVIVM

non est quod discruciemur solitudine curaque rerum infimarū. Quid igitur superest, nisi ut utentes hoc mundo, tanquam non utamur, totam curam ac studium nostrum transferamus in amorem rerum cœlestium, atq; reiecto mammona, imò toto Satana, cum omnibus suis prestigijs, uni domino toto & alacri pectore seruiamus, qui non destituet filios suos. Sed interim nullus attingit bellaria. His certe cum gaudio uesci licet, quæ non magna cura nobis domi proueniunt. Tim. Abunde satisfactum est corpusculo. Euf. Vellem quidem & animo. Ti. Atq; uberius etiam animo. Euf. Hæc igitur tolle puer, ac labrum appone. Lauemus amici, ut si quid forte commissum est in hoc conuiuio, purgati canamus hymnum deo. Perficiam si uidetur quod coeperam ex Chrysostomo. Tim. Rogamus. Euf. Gloria tibi domine, gloria tibi sancte, gloria tibi rex, quoniam dedisti nobis escas, imple nos gaudio & letitia in spiritu sancto, ut inueniamur in conspectu tuo acceptabiles, nec pudefiamus, quando reddes unicuiq; secundum opera sua. Puer. Amen. Tim. Profecto pius & elegans est hymnus. Euf. Hunc diuus Chrysostomus non dedignatur etiam interpretari. Tim. Quoniam loco? Euf. In Mattheum homelia. 56. Tim. Non omittam, quin hodie legam. Sed illud unum interim ex te cupio discere, quur ter optamus Christo

QVIORVM FORMVLÆ. 89

Christo gloriam, id' que triplici cognomine, domini,  
 sancti & regis. Eus. Quoniam illi debetur omnis  
 gloria, sed nobis triplici nomine potissimum est glo-  
 rificandus, quod suo sacrosancto sanguine redeme-  
 rit nos à tyrānide diaboli, sibiq; asseruerit, unde &  
 dominū illum uocamus. Deinde quod non contentus  
 gratis condonasse nobis omnia peccata, per spiritum  
 suum contulit nobis & iustitiam suam, ut sectemur  
 ea quæ suæ sanctimonie. Atque ob id sanctum eum  
 uocamus, quod sit sanctificator omnium. Postre-  
 mo quod ab eodem speramus præmium regni coele-  
 stis, ubi ille iam sedet ad dexteram dei patris, atque  
 hinc nobis rex dicitur. Atque hanc totam felicitatē  
 illius erga nos gratuite bonitati debemus, quod pro  
 domino uel tyranno potius diabolo, dominum habet-  
 mus Iesum Christum, pro immundicia & sordibus  
 peccatorum innocentiam ac sanctimoniam, pro ge-  
 henna, gaudia uitæ coelestis. Tim. Pia profe-  
 to sententia: Eus. Quoniam nunc primum uos  
 hic accipi conuiuio, nō dimittam uos absque xenijs,  
 sed talibus, qualis fuit apparatus. Heus puer, profe-  
 apophoreta nostra. Siue sortiri placet, siue sibi quis  
 que malit deligere, minimum refert, eiusdem ferē  
 precij sunt omnia, hoc est nullius. Non enim sunt  
 sortes Heliogabali, ut huic obueniant equi centum,  
 illi totidem muscæ. Sunt libelli quatuor, horolo-  
 gia duo, lucernula, & theca cū calamis Memphiti-  
 M      eis. Hæc

FAMILIARIVM COLLOQVIVM

*eis.* Hæc arbitror magis conuenire uobis, quàm  
 opobalsamum, aut dentifricium, aut speculum, si uos  
 noui satis. *Tim.* Adeo bella sunt omnia, ut no-  
 bis difficilis sit electio. Ipse magis pro tuo arbitra-  
 tu distribuito, sic gratius etiam erit quicquid obti-  
 gerit. Hic libellus in membranis habet prouerbia  
 Salomonis, sapientiam docet, & auro pictus est,  
 quod aurum habeat sapientiæ symbolum. Hoc da-  
 bitur cano nostro, ut iuxta doctrinam Euangelicam  
 habenti sapientiam, detur sapientia, & exuberet.  
*Tim.* Certe curabitur, ut minus egeam. *Eu.* So-  
 phronio congruet horologium huc ex extrema Dal-  
 matia profectum ut uel sic commendem munusculū  
 meum. Noui enim quàm ille sit parcus temporis:  
 quàm nullam omnino portionem rei preciosissimæ si-  
 nat abire sine fructu. *Sophro.* Imò pigrum ad-  
 mones diligentiae. *Eus.* Hic libellus habet in mem-  
 branis Euangelium secundum Matthæum, gemma te-  
 gi merebatur, nisi nullum esset illi scrinium aut the-  
 ca charior, quàm pectus hominis. Illic igitur recon-  
 dito Theophile, quo magis hoc sis, quod diceris.  
*Theoph.* Efficiam, ne prorsus male collocasse uide-  
 aris tuum munus, *Eus.* Hic sunt epistolæ Pauli,  
 quas tu libenter tecum circunferes Eulali, qui Pau-  
 lū semper habere soleas in ore, nec haberes in ore,  
 nisi esset in pectore. Posthac commodius erit etiam  
 in manibus oculisq;. *Eula.* Istuc non est dare mu-  
 nus, sed

nus, sed dare consilium. Porro bono consilio nullum est munus preciosius. Euf. Lucernula conueniet Chrysoglotto anagnostæ insatiabili, & ut M. Tullius inquit librorum belluoni maximo. Chrysoglot. Bis habeo gratiam: primum pro munere, nō uulgariter eleganti: deinde quod somniculosum admones uigilantiæ. Euf. Theca calamaria debetur theodidactō, felicissime πολυγράφω. Atque hos calamos ego felicissimos esse iudico, quibus celebrabitur gloria domini nostri Iesu Christi, tali præsertim artifice. Theo. Vtinam & pectus suppeditare possis, quemadmodum suppeditas instrumenta.

Eu. Hic codex habet aliquot Plutarchi libellos de moribus, sed selectos, & à quodā Græce literaturæ peritissimo non inscite descriptos, in quibus tantum reperio sanctimoniam, ut mihi prodigio simile uideatur in pectus hominis ethnici tam Euangelicas potuisse uenire cogitationes. Hic dabitur Vranio iuueni & φιλέλληγι. Superest horologium. Id cedit nostro Nephelio, parcissimo temporis dispensatori.

Neph. Habemus gratiam, non solum pro munusculis, uerumetiam pro testimonijs. Nam istuc non tam est distribuere xenia quàm elogia.

Eu. Imò ego uobis habeo gratiam duplici nomine. Primum quod nostram exilitatem boni consulitis. Deinde quod eruditis iuxta ac pijs sermonibus refecistis animū meū. Ego uos quomodo acceptos dimittā

FAMILIARIVM COLLO/

nescio. Certe ego uos relinquam melior ac doctior.  
Scio uobis non esse cordi fistulas aut moriones, ac  
multo minus aleam. Quare si uidetur, fallemus horu  
lam spectandis reliquis regie meae miraculis.

Tim. Istuc eramus abs te flagitaturi.

Euf. Apud bonae fidei promissore m, non est opus  
flagitatore. Hanc aulam aestiuam, opinor, uos iam sa  
tis contemplatos. Habet triplicem prospectum, &  
quoquo uersum deflectis oculos, occurrit uiror hor  
torum gratissimus. Vitreis fenestris uolubilibus, si ui  
deatur, licet excludere coelum, si nebulis, aut uentis  
sit incommodius, licet & densis ualuis foris admotis  
ac tenuibus intus excludere solem, si quid offendat  
aestus. Hic quum prandeo, uideor in horto prandere  
non in domo. Nam et parietes uirentes, suos habent  
inpersos flosculos: sunt & picturae non inuenustae.  
Hic Christus supremam computationem agit cum  
electis discipulis. Hic natalicia celebrat Herodes sic  
nesto conuiuio. Hic Euangelicus ille diues epulatur  
splendide, mox descensurus ad inferos, Lazarus re  
pellitur a foribus, mox exapiendus sinu Abrahae.

Tim. Hoc argumentum non satis agnoscimus.

Euf. Cleopatra est cum Antonio luxu decertans.  
Iam unionem ebibit, alteri manum admouit detra  
ctura. Hic pugnat Lapitha. Hic Alexander magnus  
hasta transuerberat Clitum. Haec exempla nos admo  
nent sobrietatis in conuiuio, et a Crapula, luxuq; det  
terrent.



## CVIORVM FORMVLAE. 91

terrent. Nunc ad eam usque bibliothecam, non illam quidem multis instructam libris, sed exquisitis.

Tim. Locus hic planè diuinitatem quandam præ se fert, adeo nitent omnia. Euf. Hic uidete præcipuam partem opum mearū. Nam in mensa nihil uidistis, nisi uitreum, ac stanneum, nec est in tota domo uas ullum argenteum, præter unum poculum inauratū, quod ob amorē eius, qui dono dedit, religiose seruo.

Hæc sphaera pensilis totum orbem ponit ob oculos. Hic in parietibus singulae regiões, fusiore spatio depictæ sunt. In reliquis parietibus uidetis insignium authorū imagines. Nam omnes depingere fuerit infinitum, Christus primum habet locum, porrecta manu sedens in monte. Capiti imminet pater dicens. Ipsum audite. Spiritus sanctus expansis alis multa luce complectitur illum. Tim. Opus, ita me deus bene amet, Apelle dignum. Euf. Adiunctum est bibliothecæ museon quoddam angustum, sed elegans, quod submota tabula ostendit foculum, si quid offenderit frigus. In æstate uidetur solidus paries.

Tim. Hic mihi gemmea uidentur omnia. Est & mira odoris gratia. Euf. Hoc mihi præcipue studio est, ut niteat domus, & bene oleat. Vtraque res minimo constat. Habet bibliothecæ suum ambulacrū pensile spectans in hortum, & huic adhæret sacellū.

Tim. Locus numine dignus. Euf. Nunc ad eam usque illa tria ambulacra, quæ imminet ijs, quæ uidi-

M 3 stis

FAMILIARIVM COLLO

stis ad ortū domesticū spectantia, in his superioribus utroq; prospectus est, sed per fenestras, quæ possunt occludi præsertim in his parietibus, qui nō spectant hortū interiorem, quo domus sit tutior. Hic ad læuā, quia plus est lucis, & paries raris fenestris interruptus, ordine depicta est tota uita Iesu ex narratione quatuor Euangelistarum usq; ad missum spiritū sanctū et primā prædicationē apostolorū ex Actis. Ad dextræ sunt & loci notæ, ut agnoscat spectator iuxta quod stagnū, aut in quo monte res gesta sit. Additi sunt tituli, paucis uerbis, subnotantes totū argumentū, uelut illud quod dicitur à Iesu: Volo mundare. Ex aduerso respondēt figuræ, & uaticinia ueteris testamenti, præsertim è prophetis & psalmis qui nihil aliud habent quàm Christi uitam, & apostolorū aliter narratā. Hic nonnunquā obambulo mecū fabulans, et animo cōtemplans illud ineffabile cōsiliū dei, quo per filium suum restituere uoluit genus humanum. Nonnunquā adest uxor comes, aut amicus quispiā, qui rebus pijs delectetur. Tim. In hac domo cui posset obrepere tædium? Eus. Nulli qui didicerit secum uiuere. In summa ora picturæ, uelut extra ordinem addita sunt capita pontificum Romanorum cum suis titulis. Ex aduerso capita Cesarum ob memoriam historiæ. In utroq; cornu prominet pensile cubiculum, ubi liceat interquiescere, & unde spectare licet pomarium & auiculas nostras. Hic in extre-

mo an/

mo angulo prati uidetis aliud aedificiolum, ubi coenam  
 mus nonnunquam aestiuis mēſibus. Et ubi curatur,  
 si quem forte è familiaribus corripuerit morbus ob  
 contagium formidabilis. Tim. Quidam negant  
 huiusmodi morbos esse uitandos. Euf. Quur er-  
 go uitant foueam, aut uenenum. An hoc minus ti-  
 ment, quia nō uidēt? Nec basilisā uenenum uidetur  
 quod afflat oculis. Vbi res poscat, non dubitem pro  
 necessarijs uenire in uitæ discrimen. Sine causa sub-  
 ire uitæ periculum temeritas est, alios in uitæ pericu-  
 lum adducere, crudelitas. Sunt & alia quaedam non  
 iniucunda spectatu. Ea mandabo uxori, ut ostendat.  
 Manete hic uel totum triduum, & hanc domum pu-  
 tate esse uestrā. Pasate oculos, pasate animos. Nam  
 me negotia quaedā aliō uocant. Est equitandū in pa-  
 gos aliquot uianos. Tim. Ob rem pecuniariā. E.  
 Ego tales amicos non relinquerem pecunie gratia.  
 Tim. Fortaſſis uenatio parata est alicubi. Euf. Pla-  
 nē uenatio est. Sed aliud uenor quā apros aut cer-  
 uos. Tim. Quid igitur? Euf. Dicam, in uno pa-  
 go decumbit amicus quidam non sine periculo uitæ.  
 Nam corpori metuit medicus. Ego magis metuo ani-  
 mæ illius. Nam mihi uidetur parum recte composi-  
 tus, ad emigrandum, sicut dignum est Christiano,  
 huic adero meis hortatibus, ut siue moriatur, siue re-  
 ualescat, bono ipsius fiat. In altero, dissidiū acre na-  
 tū est inter duos, non malos quidem illos, sed tamen

M 4 peruicia

FAMILIARIVM COLLO. FOR.

peruicacis ingenij uiros. Quod si exasperetur, uerco-  
ne plures secum trahat in consortium simultatis. Ad-  
nitar totis uiribus ut hos redigam in gratiam. Nam  
utriq; sum ueteri necessitudine iunctus. Hæc sunt quæ  
uenor. Quod si uenatio successerit ex animi senten-  
tia, simul hic celebrabimus  $\epsilon\pi\iota\upsilon\iota\kappa\tau\alpha$  Tim. Pia  
uenatio, precamur, ut tibi pro Delia Christus aspi-  
ret. E. Hanc prædã ego malim, quàm obuenire mi-  
hi hereditate bis mille ducatos. Tim. Mox

rediturus? E. Non nisi tentatis omni-

bus. Quare certum tempus non

possum præscribere. Vos

interim meis perinde

ac uestris fruami-

ni, et uale-

ue. Tim. Dominus

Iesus te feliciter deducat

ac reducat.

CONVIVII RELIGIO/  
SI FINIS.



POMPILIUS. BRASSICANVS.  
De incomparabili heroe Ioanne Reuchlino in  
diuorum numerum relato.

POMPILIUS.



Vnde nobis petasatus? B. B. Thubinga. P. Nihil ne istie rei nouæ? B. Egdē demiror usq; adeo mortales oēs tene/ri siti quadā rerū nouarū. At ego Louanij Camelū quēdā audiui concionantē, fugiēdū q̄cqd̄ esset nouū. P. Vocē Camelo dignā. Dignus erat homo, si tamē homo fuit, qui nūq̄ mutaret ueteres calceos, aut putre subligar: semp̄ uescatur putribus ouis, nec aliud bibat, quā uappā. B. At idē ne sis insā/us, nō usque adeo delectatur rebus ueteribus, ut malitius pridianū quā recens. P. Sed omisso Camelo, dic si quid adfers noui. B. Adfero quidem, sed ut ille aiebat, malum. P. Atqui istuc ipsum olim erit uetus. Ita fieri necesse est, ut si omnia uetera sint bona, omnia noua mala, quæcunq; nunc bona sunt, fuerint olim mala: & quæ nunc sunt mala, sint olim futura bona. B. Ita uidetur iuxta decretum Cameli. Imō  
M s̄ conse-

FAMILIARIVM COLLOQVIVM

eōsequitur, ut qui olim adolescens fuit malus fatuus,  
quia recens idem, nunc sit bonus fatuus, quia senuit.  
P. Sed age, prome quicquid est. B. Egregius il-  
le trilinguis eruditionis phœnix IOAN. REVCH.  
uita defunctus est. P. Rem certam narras?  
B. Certiorē quā uellem. P. Sed quid isthuc ma-  
li? Relicta posteris honestissimi nominis immortalī  
memoria, ab huius uitæ malis demigrare in cōfortiū  
beatorum? B. Quis istuc tibi indicauit? P. Res  
ipsa. Nec enim potest aliter mori, qui sic uixit.  
B. At magis etiam istuc diceres si scias, quod ego.  
P. Quidnam obsecro? B. Non est fas referre.  
P. Quam ob rem? B. Quia qui credidit, stipula-  
tus est arcani silentium. P. Eadem lege committe  
& mihi. Recipio tibi silentium optima fide.  
B. Quanquam ista fides me iam sepe numero se felo-  
lit, tamē age cōmittam, præsertim quum res sit eius  
generis, ut expediat etiam esse notā bonis omnibus.  
Est Tubingæ quidam instituti Franciscani, uir o-  
mnibus habitus eximie sanctimonie, præterquam  
ipsi. P. Magnum dicis argumentum ueræ sancti-  
monie. B. Agnosceres hominem & fatereris ue-  
rum, si nomē æderem. P. Quid si diuinem? B. Li-  
cet. P. Admoue aurem. B. Quid opus, quum si-  
mus soli? P. Itamose est. B. Is ipse est. P. Est  
homo certissimæ fidei. Mihi Sibyllæ folium erit, quic-  
quid ille dixerit. B. Audi igitur totum dialogum  
bona

QVIORVM FORMVLAE. 94

bona fide. Aegrotabat noster Reuchlinus, satis quidem periculose, sed ita ut bona spes esset fore, ut reualesceret, uir dignus, qui nunquã senesceret, aegrotaret, aut moreretur. Mane uidebam meum Franciscanum, ut animi mei molestiã oratione sua leniret. Nam aegrotabã unã cũ aegrotante amico, quem amabam ut patrẽ. P. Phy. Quis illum usquã non amat, nisi uir pessimus? B. Hic Franciscanus meus, Brassiane, inquit, emoue penitus ex animo mœrorem oẽm. Reuchlinus noster desijt aegrotare. Quid in quã, an subito reualuit? Nam ante biduũ nõ admodum læta promittebant medici. Tum ille: Reualuit, inquit, sed ita, ut posthac nõ sit illi formidanda ualẽtudo aduersa. Noli flere (nam uidebat erumpentes lachrymas) priusquam audias rem omnem. Sex dies sunt, quod hominem nõ inuiseram, sed tamen quotidianis precibus illius salutẽ domino cõmendabã. Hodierna nocte, quũ me à matutinis hymnis in strato composuissem, blandus quidam minimeq; grauis somnus obrepit. B. Nescio quid læti mihi præsigit animus. Fr. Non est tibi læua mens. Visus sum mihi consistere ad ponticulum quendam, per quem transitus erat in pratum quoddam longe amœnissimum. Adeo blandiebatur oculis graminum et frondũ plusquã smaragdinus uiror, sic arridebãt incredibili colorum uarietate, flosculorum stellulæ, sic spirabant omnia, ut quod erat pratorum citra riuum,

M 6 quo

FAMILIARIVM COLLOQVIVM

quo dirimebatur felicissimus ille campus, nec uiuere, nec uirere uideretur, sed mortua, inamœna, putrida q̄ omnia. Atq; interim dum totus sum in eo spectaculo, cōmodum præterierat Reuchlinus. Præteriens Hebraice precatus est pacē. Iam medium pontis transierat priusq̄ sentire, parantē accurrere, respiciēs uetuit. Nondū fas, inquit. Quinto ab hinc anno nos sequeris. Interim eorum, quæ aguntur testis ac spectator assistito. B. Hic ego, nudus erat, inquā, Reuchlinus, an uestitus: solus, an comitatus. F. Vestitū nihil habebat, præter unā candidissimā, damascenā esse dixisses, candore mire lucido, ponē sequebatur puer incredibili specie, alatus. Suspicebam illius esse genium bonū. P. Sed nullus ne comitabatur genius malus? B. Imò aliquot, ut Franciscanus ille arbitrabatur. Procul, inquit, à tergo sequebātur aues aliquot, pennis cætera nigris, nisi quod explicatu alarū giluas uerius quàm candidas plumas ostenderēt. Picæ, inquit, uideri poterant, colore & uocē, nisi quod singulæ duodecim picas æquarent magnitudine corporis, nihilo minores uulturibus, cristam gestantes uertice, rostris & unguibus aduncis, uentre prominēte. Harpyiæ uideri poterāt, si tres modo fuissent. P. Quid moliebantur istæ furie? B. Procul, inquit, ostrepebant heroi Reuchlino & impetitura uidebantur si licuisset. P. Qui minus licuit? B. Quia uersus Reuchlinus obiecta manu crucis imaginem



QUIORVM FORMVLAE. 95

imaginem exprimens: Abite, inquit, quo dignum est,  
 mala pestes. Satis sit uobis negotium facessere mor-  
 talibus. In me, iam immortalibus ascriptum, nihil ha-  
 bet iuris uestra demetia. Vix ea dixerat, inquit Fra-  
 niscanus, mox abierant foedissima uolucres, sed reli-  
 cto foetore, ad quem collatum oletum uideri posset  
 sansuanum, aut foliatum. Deierabat se citius uel ad  
 inferos descensurum, quam sustineret iterum afflari  
 tali thymiamate. P. Male sit illis pestibus. B. Sed  
 audi caetera, quae narrauit mihi Franascanus. Dum  
 haec intentus contemplor, inquit, iam ponti uianus  
 erat diuus Hieronymus, qui Reuchlinum hisce uer-  
 bis compellabat: Salue collega sanctissime. Datum  
 est hoc mihi negotium, ut te exceptum deducam in  
 consortium coelitum, quod tuis sanctissimis labori-  
 bus destinauit diuina benignitas. Simulque uestem  
 protulit, qua Reuchlinum induit. Tum ego, dic inquam  
 mihi quo cultu quaque specie uidebatur Hieronymus.  
 Erat ne tam senilis quam illum pingunt, aut cucullam  
 habebat aut galerum ac pallium Cardinalium, aut Leo-  
 nem comitem? Ad haec ille. Nihil, inquit, istiusmodi.  
 Species erat amoena, quae sic aetatem testabatur, ut ni-  
 hil haberet squaloris, dignitatis plurimum. Quorsum  
 autem illic opus erat comite leone, quem illi pictores  
 adiunxerunt? Vestem gerebat ad talos usque demissi-  
 sam, Crystallum diceres pellucidum. Eiusdem erat for-  
 ma, quam Reuchlino tradidit. Tota undique picta erat  
 linguis,

FAMILIARIVM COLLOQVIVM

linguis, tripliâ colorû uarietate. Quedam pyropum præ se ferebât. Nonnullæ Smaragdû. Tertiæ Sapphirum. Pellucebant omnia, nec mediocrem gratiam addebat ordo. P. Conijçao id fuisse insigne trium linguarû quas calluerunt. B. Non est dubium. Nam et fimbriæ trium linguarû literis triplici colore distinctis uisibatur inscriptæ. P. Num incomitatus aderat Hieronymus? B. Incomitatus, inquis? Totus ille campus obsidebatur myriadibus Geniorum, nec aliter oppleuerant aëram totum, quàm uidemus in solis radijs uolitare minuta corpuscula, quæ uocant  $\alpha\tau\omicron\mu\alpha$ . Si tamen à re tam humili hic ducenda est comparatio. Neq; cœlum uidere licuisset, neq; campus nisi pelluèrent omnia. P. Euge, Reuchlino gratulor. Quid deinde factum est? B. Hieronymus, inquit, honoris gratia complexus dextrum Reuchlinum deduxit in mediû pratum. Ibi collis erat in medio prominens. In huius uertice, uterq; alterû blando osculo cõplexus est. Atq; interea uasto hiatu cœlû supernè diduxit sese, maiestatem quãdam inenarrabilem exhibens, sic ut ad eam speciem cœtera penè sorderent quæ tamen antea uidebantur esse mirifica. P. Nõ possis aliquã imaginem nobis depingere? B. Qui possim ego, qui non uidi? Is qui uidit, negauit se ullis uoçibus uel somnium rei posse depingere. Tantû hoc aiebat, se uel milies mori paratum, si liceat iterum eo spectaculo quàmlibet exiguo momento frui. P. Quid tantum dem?

QUIORVM FORMVLAE. 95

dem? B. Ex hiatu cœli demissa est ingens colūna  
 igne pellucido, sed amœno, per eā in complexu duæ  
 sanctissimæ animæ subiectæ sunt in cœlum, choris  
 angelicis tanta melodia delinientibus omnia, ut Frā/  
 discanus neget se unq̄ eius uoluptatis meminisse pos/  
 se, quin erūpant lachrymæ. Sequuta est mira fragrā/  
 tia. Vbi somnus reliquit hominem, si tamen ille so/  
 mnus dicendus est, erat dementi similis, non crede/  
 bat sese esse in cellula sua. Requebat pontē ac pratū/  
 suū: nec aliud loqui, nec aliud cogitare poterat. Senio/  
 res eius collegij, ubi senserunt rem non esse fabulo/  
 sam (Nā compertū est eadem hora, terris exaßisse  
 Reuchlinū, qua uisio uiro illi sanctissimo apparuit).  
 cōcordibus animis egerūt gratias deo, qui benefacta  
 piorū præmijs amplissimis remunerat. P. Quid igi/  
 tur supest, nisi ut sanctissimi uiri nomen aßcriba/  
 mus calendario sanctorum? B. Id ego facturum erā,  
 etiam si nihil tale uidißet Franciscanus: & quidem  
 aureis literis proxime diuum Hieronymū. P. Emo/  
 riar nisi idem facturum sum in codice meo. B.  
 Quin & in meo larario stabit aureus inter diuos se/  
 lectos. P. Stabit & in meo, uel gēmeus, si suppetat  
 animo facultas. B. Ponetur & in bibliotheca  
 Hieronymo proximus. P. Addetur & mea.  
 B. Imò si grati uolent esse, idem facerent omnes,  
 qui colunt & amant linguas ac bonas literas, præ/  
 fertim sacras. P. Dignus est uidelicet. Sed nihil  
 te mouet

## FAMILIARIVM COLLO-

te mouet ille scrupulus, quod nondum relatus est in numerum diuorum auctoritate Rom. Pontificis. B. Quis canonizauit, sic enim uocant, diuum Hieronymum? Quis Paulum? quis uirginem matrem? Vtrorum memoria sanctior apud pios omnes, horum quos insignis pietas, quos ingenij uita que monumenta comendant affectibus omnium, an Catharine Senensis, quam in diuarum numerum retulisse fertur Pius, eius nominis secundus, in gratiam ordinis & urbis? P. Vera praedicas. Ille demum uetus cultus est, qui sponte caelo dignis meritis defunctorum exhibetur, quorum beneficia perpetuo sentiuntur. Quid igitur putas tu huius uiri mortem deplorandam? Diu uixit, si quid ea res facit ad felicitatem hominis. Reliquit nunquam intermoritura uirtutis suae monumenta. Benefactis consecrauit nomen suum immortalitati. Nunc exemptus malis, caelo fruitur, & cum Hieronymo confabulatur. P. At multa passus est in uita. B. Sed plura passus est Diuus Hieronymus. Felicitas est, ob bona pati a malis. P. Fateor certe ob optima a pessimis multa perpeffus est Hieronymus. B. Quod olim fecit Satanas per scribas & phariseos in dominum Iesum, hoc & nunc facit, per pharisaicos quosdam in optimos quosque uiros, ac de genere mortalium suis uigilijs bene merentes. Nunc ille metit optimam messem, pro semente quam fecit. Interim nostrae partes erunt

QUIORVM FORMVLAE. ¶

des erunt illius memoriam habere sacrosanctam, illius nomen ferre laudibus, ac subinde illum salutare uerbis huiusmodi. O sancta anima, sis felix linguis, sis felix linguarum cultoribus, faueto linguis sanctis, perditio malas linguas, infectas ueneno gehennæ. P O M P I L I V S. Ista faciam, ac sedulo prædicabo cæteris, ut idem faciant. At non dubito multos futuros, qui præcatiunculam aliquam desiderarent, quandoquidem hoc receptum, qua sanctissimi herois memoriã celebrent. B R A S S I C A N. Hoc dicis, quod isti Collectam appellant. P O M P I L. Scilicet. B R A S S I C. Hanc paraueram & ante mortem. P O M P I L. Recita quæso. B R A S S I C A. Amator humani generis deus, qui donum linguarum, quo quondam apostolos tuos ad Euangelij prædicationem per spiritum tuum sanctum cœlitus instruxeras, per electum famulum tuum I O A N N E M Reuchlinum mundo renouasti, da ut omnibus linguis omnes ubiq; prædicent gloriam filij tui Iesu, ut confundas linguas pseudapostolorum, qui coniurati substruunt impiam turrim Babel, tuã gloriam obscurare conantes, dum suam student atque tollere, quum uni tibi debeat omnis gloria, cum Iesu filio tuo domino nostro, & spiritu sancto in æterna secula. Amen. P. Elegans profecto & pia præcatio: dispeream nisi mihi quotidie dicetur. Et hunc occursum mihi felicem duco, qui rem tam lætam ex

FAMILIARIVM COLLO. FOR.  
*tam ex te didicerim. B. Isto gaudio diu frueri, de  
uale. P. Vale tu quoq;. B. Valebo, sed non  
coquus.*

FORMVLARVM COLLOQVIO/  
RVM FAMILIARIVM, DESI/  
DERIO ERASMO ROTE/  
RODAMO AVTHO/  
RE, FINIS.

BASILEAE, ANNO A CHRISTO  
NATO. M. D. XXIII.

EXCVDEBAT THOMAS  
VOLFIVS.



*Digito compeſce labellum,*



*Dixiſſe, aliquando penituit, tacuiſſe nunquam.*

*Multa quidem audienda, pauca uero dicenda.*


THOMAS VOLFIUS.




66977

AB 66977


(X 1978936)





B.I.G.

Farbkarte #13



# FAMILI

ARIVM COLLOQVIO  
rū formula, per D. ERASMV  
Roterodamum, multis adieētis,  
non tantum ad linguam pue  
rilem expoliendam u/  
tiles, uerum etiā  
ad uitā in=  
sti/  
tuendam.

Apud inclyt. am Basileam.  
M. D. XXIII.

*Salmgrobis Joannis Wegelii*

